Si diligenter attenditis Fr(atr)es cha-
rissimi omnes Sacerdotes Domini, n(on)
solum Episcopos, sed etiam Presby-
teros, et ministros Ecclesiarum in
grandi periculo esse cognoscitis, si
enim pro se unusquisq(ue) vix poterit
rationem reddere, in die judicij, quid
de Sacerdotibus futurum est? a
quibus sunt omnium animae re-
quirendae. S. August. l. 50. Hom. 1.

8

OPUSCULUM BIPARTITUM

Pro

SUSCIPIENTIBUS ET EXERCENTIBUS

SACROS ORDINES.

Conſcriptum

A. R. P. Adalberto Tylkovvski, Societatis JESU Theologo.

EDITIO SECUNDA.

Cui acceſſit altera Pars, quæ in priori editione deſiderabatur.

Typis Monaſterii Olivenſis S. O. C.
Imprimebat
Georgius Franciſcus Fritſch, 1683.

FACULTAS ORDINARII.

OPusculum Bipartitum à R. P. *Adalberto Tylkowski S. J. Theologo conscriptum; quia non solùm Ordinandis utile, sed quibusvis etiam Sacerdotibus, & Curam Animarum habentibus summopere necessarium comperimus: ut Typis Monasterii Olivensis denuò lucem videat, facultatem impertimur præsentibus. Olivæ 22. Februarii Anno* 1683.

Joannes Josephus Martini,
Præpositus, Decanus Mevensis, Officialis Gedanensis & Pomeraniæ Surrogatus Judex.

PP. Eremitarum Camaldulensium in Insula Vigrensi.

ILLUSTRISSIMO

Ac

REVERENDISSIMO

DOMINO, DOMINO

BONAVENTURÆ

De Niedzielsko

MADALINSKI

EPISCOPO VLADISLAVI-
ENSI ET POMERANIÆ.

Domino & Mœcenati
gratioſiſſimo.

SEcundo prælo Liber
hic in lucem prodit; &

 ad

ad Te, qui digna literis librisque geris, secundis provolat avibus, Antistes Illustrissime. Nimirum suæ tum fortunæ optimè provisum confidit, cùm sub Tuis auspiciis secundam lucem intuetur: Cujus Gentilitii Vomeres palmares felicitatis in fertilissimo tum Ecclesiæ, tum Patriæ agro, non secundas solùm, sed sexcentas notas exarant. Literarum formatrix & religiosis obscura umbris Librorum officina, non sine uberioris recipiendæ Lucis spe, TUO sese sistit conspectui: non alium sacratiorem ordinem dē sacris ordinibus dignas luce lucubra-

cubra-

cubrationes producens, ſequendum rata, quàm ut tibi præſentetur, qui in Diœceſi hac Sol es Illuſtriſſimus. Tibi etenim, per quem reducta ſacris veneratio, Templis redditus nitor, Aris repoſitus honos, ſacris operaturis nova ſanctè operandi & vivendi oblata materies, peculiari debetur jure, qui etiam antequam ſub prælo deſudaret, Tuis reluxit in uſibus & exemplis. Faventes igitur Liber hic Tuos ſubeat oculos qui pridem Tuum ingreſſus animum. Tua illum admittat manus, qui jam olim totam obtinuit mentem. Habeat iteratam à na-

tivo Gentilitii Tuo Vomeris splē-
dore, qui per immortalia Hono-
rum extenditur spatia, & terrenæ
excedit metas gloriæ, lucem &
tutamen. Nos verò perge digna-
ri eo vultu, quo Patriæ & Ecclesiæ
ludum facis: & tanquam Oliva
fructifera in Domo Domini sem-
per vegeto, vividoque virium ro-
bore, & felicitatis vigore floreas
quàm diutissimè.

Illustrissimæ Celsitu-
dinis Vestræ

Humillimus in Christo Servus

*Fr. Joan. Augustinus Hoffmann
S. O. Cisterciensis, Præfectus
Typographiæ Olivensis.*

PARS PRIMA HUJUS OPUSCULI.

De Suscipientibus Ordines.

CAPUT I.

Requisita ad Ordines suscipiendos.

1.

SExus, ut sit mas aliàs non teneret ordo. 2. Ætas legitima, de qua in *Trident. Sess.* 23. *cap.* 12. Ad primam tonsuram quidem, & ad tres minores ordines anni septem expleti requiruntur. Ad Acolytatum anni 12. expleti. Ad Subdiaconatum inchoati anni 22. ad Diaconatum anni 23. inchoati. Ad Sacerdotium anni 25. itidem inchoati. Ad Episcopatum anni 30. expleti. Ante hanc verò ætatem,

valida quidem esset ordinatio in quavis ætate, etiam in minima; sed essent suspensi sic ordinati & irregulares juxta Bullam Pii V. 3. Requiritur ut Baptismum & Confirmationem receperit, & omnes inferiores ordines antequam ad superiores promoveatur & quidem sine Baptismo ordo non teneret. *Ibid. c. 4.* 4. Ut non sit bigamus. 5. Ut non Neophytus. 6. Non corpore vitiatus. 7. Non illegitimus. 8. Non hæreticus, seu hæretici in hæresi mortui filius, vel etiam nepos viâ masculinâ. 9. Nullo impedimento Canonico impeditus, neque conjugatus, nisi uxor priùs voverit castitatem. 10. Non infamis, vel infame aut sordidum exercens officium. 11. Non servus, id est mancipium. 12. Non illiteratus. 13. Non solennem egerit pœnitentiam. 14. Non aliquâ irretitus Ecclesiæ censurâ, id est, nec suspensus, nec irregularis, nec excommunicatus, neque interdictus. 15. Vita honesta & mores requiruntur cum bono de his testimonio, ita ut postea
in

in Majoribus ordinibus hoc teſtimonium continuari debeat. *Trid. Seſſ.* 23. 16. Ut literas dimiſſorias à ſuo Epiſcopo habeat, ſi ab alio ordinari debeat. *Ibid Seſſ.* 14. *c.* 2. 17. Ut ſit ſine peccato mortali, quando ordines ſuscipit, aut debet eſſe contritus, & confeſſus ex decentia ſi in illo inveniatur. 18. Ut habeat beneficium ſufficiens ad victum, vel aliud, unde vivat, niſi ſit Clericus regularis. *Ibid. Seſſ.* 21. *c.* 2. *& cap. non liceat de præbendis.* 19. Scientia debita in ſingulis ordinibus eſt etiam neceſſaria, de qua particulatim eſt dicendum. Qui cum his impedimentis acciperet Ordines, peccaret mortaliter, ſed ordo teneret: Sed ſi absque voluntate recipiendi, non teneret.

CAPUT II.

De Scientia requiſita ad ſingulos ordines.

De Scientia requiſita ad primam tonſuram.

Sciat legere & ſcribere, Rudimenta

doctrinæ Christianæ, seu Cathechismi textum teneat. Decalogum, Præcepta Ecclesiæ, Pater, Ave, Credo, Salve. Peccata in Spiritum S. Peccata clamantia in cœlum. Opera misericordiæ corporalia, & spiritualia. Peccata quæ dicuntur capitalia. Virtutes Theologicas & Cardinales. Dona S. Spiritûs. Sensus Corporis. Animæ rationalis potentias. Hominis novissima. Fructus S. Spiritûs. Beatitudines. Choros Angelorum, quæ omnia ex aliquo pio ac probato libello discet. Deinde de Sacramentis, quot sint? & particulariter de Ordine, quot sint Ordines? quod singulorum Ordinum officium? *Trid, Sess.* 23. *c.* 4.

De Scientia requisita ad suscipiendos Minores Ordines.

Sciat latinè, ita ut intelligat lingvam Latinam, saltem ut bene legat, & Grammaticam ordinet, vulgari sermone reddendo. Rudimenta illa Fidei quæ diximus, non solùm memoriter tene-

teneat, sed etiam habeat mediocrem illorum intelligentiam, præsertim expositionem Fidei, Symboli, Decalogi, & peccatorum Capitalium. De Sacramentis etiam omnibus ac singulis. Quid sint? quot singulorum effectus. De Ordine in particulari, quot sint Ordines? quod singulorum officium? *C. Singular.* 77.

Quæ scienda pro Subdiaconatu.

Sciat Latinè, ut non solùm intelligat, sed etiam loquatur. Doctrinæ Christianæ pleniorem cognitionem habeat quàm præcedentes, ut saltem si interrogetur, appareat eum probè singula mysteria fidei intelligere & recensere. De Sacramentis & de Ordinibus paulò plura quàm antecedentes, quot sunt, quid, quæ materia, Forma, Minister, Effectus, Suscipiens: C. *Tuas de Simpl. Quicunq; d.* 77. *& dilectus de Ordin.*

Quæ scienda pro Diaconatu?

Eadem quæ Subdiacono, sed paulò perfe-

perfectiùs, Baptiſmi præterea, & Miſſæ, & Euchariſtiæ defectus, ſi non perfectè, ſaltem ex parte ſcire debet, quandoquidem illorum eſt Miniſter, & Sacerdotis in his coadjutor.

Quæ Scienda pro Sacerdotio, & ex quibus ea facilius diſcet?

1. Sciat benè Latinam lingvam, ita ut exactè & congruè loquatur, in hac re illum ad *Ciceronem* remittimus. *Ibid*; c. 14.

2. Doctrinæ Chriſtianæ, ut de Subdacono & Diacono diximus, rudimenta non ſolùm memoriter teneat, ſed etiam eorum pleniorem expoſitionem, & ſingulorum intelligentiam, ut interrogatus de illa, aptè exponat. Quod diſcet ex *Catechiſmo Romano*, *Vel Caniſii*.

3 De ipſo Sacerdotis officio, & Confeſſoris quid ſit, quæ aut quot rèquiruntur ad Confeſſoris officium. De Clavibus quid ſint, & quæ. Diſcet ex *Polanci Directorio*, aut noſtra Inſtructione

ctione quam hîc infra ponimus. *Trid. Sess.* 14. *c.* 6. *de Poenit.*

4. De Sacramentis tum in genere, tum in specie, & præcipuè de Ordinibus. Quid sint, quæ partes, Materia, Forma, Minister, effectus, suscipiens. Hæc discet ex *Concil. Florentino* sub *Eugenio* IV. vel ex aliqua *Summa Theologiæ Moralis*, & nos inferiùs apponemus.

5. Casus Baptismi, Extremæ Unctionis, Ordinis, Eucharistiæ, Matrimonii, Pœnitentiæ.

6. De Censuris. Quid sint, & quotuplices. Præsertim de Excommunicatione Majori & Minori, de ejus effectu. Quis possit absolvere, quis ferre. Præsertim casus in Bulla Cœnæ Domini. Ex aliquo Theologo Morali.

7. Defectus Missæ & Remedia. Ex Missali Romano. Sylvestro *verbo* Eucharistia, 2. 3. & 9. & V. Missa 3. S. Thoma & aliis.

8. Partes Pœnitentiæ teneat exactè, Contritionem scilicet, Confessionem,

& Satisfactionem. Item Sigillum. De peccatorum natura quæ sunt materia Confessionis, de Restitutione, de Circumstantiis peccatorum. Hæc ex nostra infra posita Instructione, vel *Directorio Polanci.*

9. Matrimonii dirimentia impedimenta, memoriter teneat versibus comprehensa, cum singulorum verborum explicatione, quæ debiti petitionem aut redditionem impediant. De Sponsalibus.

10. De Usura. Quotuplex casus Usuræ, de Emptione & Venditione, de Censibus, Cambiis, Donatione, Testamentis, & aliis Contractibus. Discet ex *Medina, Bonacina, Soto. de justitia.* Et *in* 4. *d.* 16. *ex* S. *Th.* 2. 2. *q.* 77. 78. De Simonia quid, quotuplex, ejus casus. De Beneficiis Ecclesiasticis.

11. De Votis, præsertim Castitatis, Religionis, casus voti. De Juramento, Eleemosyna, Decimis, Furto, Rapina, Dolo, Fraude, Homicidio, Detractione, Bello justo vel injusto.

12. Quæ ad vitam & honeſtatem Clericorum ſpectant, quæ eis prohibita, quæ præcepta. Quamvis hæc Diacono & Subdiacono, imò & inferioribus Clericis nota eſſe oporteat. Quæ diſcenda ex aliquo Theologo Morali, & nos hîc apponemus.

13. Quæ ad recitandum decenter Officium & horas Canonicas ſpectant. Hæc diſcet ex Breviarii regulis. De peccatis verò quæ in his horis recitandis committuntur, ex aliquo Theologo Morali.

14. De Hæreſi, Apoſtaſia, Idololatria, Schiſmate, Superſtitione; Magia. *Ex S. Th.* 2. 2.

15. Quoad praxim. Sciat 1. Formam Abſolutionis. 2. Interrogatorium per ſingula præcepta, & ſeptem peccata capitalia, & in ſingulis, quid à quo petendum. 3. Remedia peccatorum, maximè communium, & peccata ſtatuum ſcire oportebit. 4. Quomodo ſe gerere debeat cum Pœnitente, ante Confesſionem, in, & poſt. 5. De qua-

litate

litate & quantitate Pœnitentiæ imponenda. Ex *Polanco* & aliis.

CAPUT III.

De Potestate Confessoris.

UT bene suo munere fungatur Confessarius, ex necessitate duo in illo requiruntur. *Scientia & Potestas.* De scientia videtur satis dictum. Addi posset, ut sciat ea quæ pertinent ad vitæ hominum actiones & opera, & ut discernat inter bona ac mala, & ex malis inter peccata mortalia & venialia de quo in altera Parte.

Potestas est duplex. Clavis scilicet Ordinis, & Jurisdictionis.

Clavis Jurisdictionis, est potestas per quam Pœnitens fit subditus Sacerdoti, & ipse Sacerdos superior in eo foro, ut de illo possit judicare. Est autem duplex, *Ecclesiastica* & *Sæcularis*. Altera in foro Pœnitentiæ servit, quæ propriè clavis dicitur. Altera in foro publico, est Ordinaria

naría in quolibet Ordinario Judice: & delegata in Delegato. *Ordinis est Potestas*, per quam Pœnitenti sic subdito per clavium Jurisdictionem remittuntur vel dimittuntur peccata. Ea est duplex, scientiæ & potestatis. *Clavis scientiæ* non est scientia, sed potestas agnoscendi & inquirendi in peccata pœnitentis. *Clavis potestatis* est potestas postquam sciverit, sententiam ferendi, absolvendo vel retinendo. Dicuntur autem *claves* quia cœlum aperiunt peccatori, per peccatum clausum.

CAPUT IV.

De Bonitate, Prudentia & Sigillo.

ILla duo, potestas, scilicet, & scientia requiruntur ex necessitate in Confessario. Ex decentia autem & ad bene esse requiruntur: Bonitas, Prudentia, Sigillum secreti. *Bonitas* talis sit, ut sit exemplum morum populi, & possit eum in via spirituali manu ducere. *Prudentia*

ut

ut sibi & cæteris rectum consilium in agen[illegible] ; & vitæ ratione, ac peccatorum remediis præbere possit. *Sigillum* est vis, seu obligatio, quâ Sacerdos celare tenetur, & nulla de causa unquam revelare, quæ in confessione audivit pœnitentium peccata. Sed de hoc postea copiosiùs.

Compendiolum De Sacramentis.

CAPUT I.

De Necessitate Sacramenti.

NOn modò Ordinandis, sed universo populo est necessaria saltem crassa cognitio Sacramentorum, cùm ad prima Fidei rudimenta pertineant, & sint tanquam prima Religionis nostræ fundamenta. Sacerdotibus verò tanquam horum Ministris exactior, præsertim Confessoribus, cùm de illis debeant populum instruere & interroga-

re,

re, tum etiam quia circa illa casus difficiles accidunt. Ut ergò ordine procedamus, hanc de illis tractationem in duos dividemus Articulos. In primo breviter tum in genere, tum de singulis Sacramentis in particulari, quid sint, quæ Materia, Forma, Minister, Suscipiens, Effectus, agemus. In Secundo circa hæc singula præcipuos & singulariores casus, ad Confessariorum maximè utilitatem proponemus.

ARTICULUS I.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

§. 1.

SAcramentum est signum visibile invisibilis gratiæ, cujus similitudinem gerit, vel causa existit, *vel est* rei sacræ, rei sanctificantis signum efficax.

Perficiuntur Sacramenta tribus. Scilicet: Materiâ, Formâ, & Intentione, ut

ut mens sit saltem faciendi quod facit Ecclesia. *Partes essentiales* sunt duæ. Materia & Forma. *Materia*, sunt res. *Forma*, verba.

Dicuntur autem *Materia* & *Forma* similitudine quâdam ad res naturales, quæ ex materia & forma constant. Quia materia est imperfecta & in potentia, & perficitur per formam quæ est perfectior, & determinatur per illam. Sic in Sacramento rerum significatio est magis confusa, & ad plura significanda indeterminata. At Verborum significatio distincta & perfectior, & determinat res ad hanc vel illam significationem tantùm: Denique res sunt signa imperfecta, verba verò sunt signa multò perfectiora.

Effectus Sacramentorum. Est gratia gratum faciens, ac peccatorum remissio: & in quibusdam Character. Insuper omnia possunt facere ex attrito contritum.

Minister. Quinque Sacramentorum est Sacerdos. Duorum autem scil. Confirmatio-

mationis & Ordinis tantùm Episcopus. Græci hic habent suum quid particulare.

Suscipiens. Quivis Sacramentorum est homo capax, etiam ante usum rationis. Sed ad quævis Sacramenta oportet esse baptismum aliàs non valent. Oportet esse & contritum, si est in peccato. De quo postea.

§. 2. *De Numero, distinctione Sacramentorum, & Institutione.*

Septem sunt Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. *Trid. Sess.* 7.

Causa *cur tot sint* instituta Sacramenta à Christo, est ex proportione ad vitam naturalem, in qua nascimur, augemur pervenimus ad statum perfectum, & si in morbum labamur sanamur, & ad finem vitæ tandem pervenimus. Ita Sacramenta sunt facta ad vitam spiritualem perficiendam. Per Baptismum enim regeneramur, vel potiùs nascimur in vita

vita ſpirituali. Per Confirmationem creſcimus ſeu roboramur. Per Euchariſtiam nutrimur, & ad perfectum ſtatum perducimur. Per Pœnitentiam, ſi deficimus ac in morbos labimur, ab iis ſanamur. Per extremam Unctionem ad finem tandem vitæ præparamur, confortamur & perducimur. Per iſta quinque ſingulorum vita particularis perficitur. Per alia vero duo, in communi omnium vitæ perfectio communis comparatur. Ad propagationem quidem carnalem & filiorum educationem ut ſit ſancta, tendit Matrimonium. Ad propagationem verò ſpiritualem, & filiorum ſpiritualium educationem, ac rectam gubernationem, Ordo. Atque ita Dei ac Domini noſtri mira apparet in hac Sacramentorum inſtitutione charitas & ſapientia. *Trident. Seſſ.7.can.9.*

Characterem tria imprimunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, & ideò non poſſunt iterari. Eſt autem *Character* ſignum quoddam ſpirituale, & indele-

delebile: Seu donum quoddam in anima. Quo ipſo confertur & d... potestas ad ſuſcipiendum & conferendum Sacramenta. In Baptiſmo quidem ad omnia ſuscipienda. In Confirmatione ad ſuscipiendos Ordines. In ipſo Ordine ad omnia Sacramenta adminiſtranda.

Inſtitutor Sacramentorum eſt Chriſtus ipſe, neque poteſt Eccleſia ullum inſtituere Sacramentum. *Trid. Seſſ. 7. can. 9.*

CAPUT II.
De Singulis Sacramentis.

§. 1. *De Baptiſmo.*

B*Aptiſmus* eſt ablutio exterior facta ſub hac Forma verborum. *Ego te Baptiſo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.*

Materia, Aqua naturalis, Elementalis.

Forma. Ego te baptiſo in nomine Patris, & Filii & Spiritûs Sancti.

Effe-

Effectus. Remissio culpæ omnis, originalis, & actualis, & omnis pœnæ, & gratiæ infusio cum donis ac virtutibus; & character baptismalis.

Minister. Sacerdos ex officio, & in casu necessitatis unusquisq;.

Suscipientes. Omnes credentes & in Fidei rudimentis instituti, etiamsi sint pueri vel amentes.

Triplex est Baptismus. Fluminis vel aquæ. Flaminis vel Spiritûs S. Sanguinis vel Martyrii.

§. 2. *De Confirmatione.*

Confirmatio est unctio Chrismatis in fronte baptisati ab Episcopo facta sub forma præscripta verborum. *Signo te &c.*

Materia. Chrisma confectum ex oleo & balsamo.

Forma. Signo te signo S. Crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritûs S.

Effectus; Datur Spiritus S. ad robur, ut

ut audacter quis confiteatur nomen Christi: & imprimitur character.

Minister Ordinarius est Episcopus, aliquando ex dispensatione Sedis Apostolicæ simplex Sacerdos.

Suscipiens Baptisatus. Aliàs non valeret. Et ex decentia ætas ea, ut possit recordari se suscepisse hoc Sacramentum.

§. 3. *De Eucharistia.*

Eucharistia est Sacramentum sub specie panis & vini continens verum Corpus atque Sangvinem Christi.

Materia est panis triticeus, & vinum ex vite, cui ex traditione & præcepto Ecclesiæ miscendum est parum aquæ.

Forma in consecratione panis. *Hoc est Corpus meum.* In consecratione vini. *Hic est Calix Sangvinis mei* &c.

Effectus. Unio cum Christo, seu gratia hanc unionem faciens. Omnes deinde effectus, quos cibus & potus in corpore operatur, facit in anima. Nutrit,

 sustenta-

sustentat, auget, reparat, delectat. Tum dona ac virtutes infusæ: remissio peccatorum venialium, & mortalium si quis accedat se putans contritum carens Confessario: pœnæ temporalis ex parte remissio. Illuminatio mentis, Devotio, fervor, imminutio fomitis & concupiscentiæ & tandem vita æterna.

Minister. Sacerdos. *Suscipiens.* Confessus post peccatum mortale: vel si necessitate compulsus non potuit confiteri saltem sit attritus, attritionem scilicet putando contritionem esse in se.

§. 4. *De Pœnitentia.*

Pœnitentia. Est Sacramentum Confessionis & Absolutionis cum remissione peccatorum commissorum post Baptismum.

Materia. Sunt actus pœnitentis, Contritio, Confessio & Satisfactio.

Forma. Verba Absolutionis quæ profert Sacerdos. Ego te absolvo &c.

Effectus. Remissio peccatorum, seu Absolutio à peccatis, & infusio gratiæ.

Minister. Sacerdos habens potestatem absolvendi ordinariam, vel delegatam.

Suscipiens. Contritus, vel Attritus. Nam hoc Sacramentum facit ex attrito contritum.

Partes essentiales duæ. Materia & forma. *Integrales sunt* illæ materiæ dictæ: Contritio, Confessio, & Satisfactio.

Poenitentia est multiplex. Alia est *affectus* vel dolor rei vel operis facti. Alia *virtus* quæ illum affectum moderatur, ut pœniteat de quo oportet, & quomodo oportet. Alia, *Sacramentum* superiùs expositum. Item accipitur pœnitentia *pro satisfactione.* Alia rursus est *secreta*, alia *publica*, alia *solennis.*

§. 5. *De Extrema Unctione.*

Extrema Unctio. Est facta unctio Infirmi in oculis, naribus, manibus, pedibus, renibus, cum oleo consecrato idque facta sub certa forma verborum.

Materia. Oleum olivæ per Episcopum benedictum, quod dicitur oleum infirmorum.

Forma: Per iſtam unctionem & ſuam piisſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti, *& ſic in aliis membris.*

Effectus. Mentis ſanitas, & quando expedit etiam corporis, atque ita reliquias peccatorum aufert, & ſpem ac fiduciam erigit, & contra dæmonis tentationes ungit, præterea vires dat ad ferendum morbum.

Miniſter. Sacerdos. *Suſcipiens*, infirmus in articulo, aut prope articulum mortis conſtitutus.

§. 6. *De Ordine.*

Ordo. Eſt Sacramentum in quo quibusdam verbis & rebus datur poteſtas ad conſecrandam Euchariſtiam, & alia Sacramenta conficienda.

Materia. Eſt id per cujus traditionem confertur ordo. Ut *Presbyteratus* confertur per calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia porrectionem. *Diaconatus* per traditionem libri Evangeliorum. *Subdiaconatus* per libri epiſtolarum datio-

tionem, ut est in Pontificali Romano, sive per calicis vacui, & patenæ sine hostia dationem.

Forma. Sunt verba Episcopi, quibus exprimitur actus ille traditionis rei, & actus potestatis circa eam rem traditam.

Effectus. Gratiæ augmentum ut quis sit idoneus Minister, & character, seu potestas.

Minister. Ordinarius est Episcopus.

Suscipiens. Vir nullum ad hoc impedimentum Canonicum habens.

Septem sunt Ordines juxta opinionem Theologorum, propter septiformem gratiam Spiritûs S. cujus officia exequitur. *Prima Tonsura* non est ordo, sed præparatio ac dispositio ad ordines. Est enim professio quædam vitæ spiritualis, & per hanc reponitur in Clero, & fit capax beneficii Ecclesiastici, & alia quædam habet privilegia.

Minores Ordines sunt quatuor. Ostiariatus, Lectoratus, Exorcisatus, Acolytatus.

Majores Sacri tres. Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus.

Episcopatus. Est gradus Sacerdotis. Est enim per hunc summus Sacerdos. Canonistæ faciunt novem Ordines, annumerando Episcopatum & primam tonsuram, ut sic militantem Ecclesiam assimilent triumphanti, in qua sunt novem chori Angelorum.

Sacri. Dicuntur majores per Antonomasiam, (licet etiam alii sint Sacri) 1. Quia impediunt Matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum. 2. Quia solenne votum Castitatis adnexum habent. 3. Quia proximè ministrant Sacramento Eucharistiæ sive sacrificio: Alii quatuor non item. Ideòque illi vocantur *Majores*, & isti *Minores*.

Et quamvis sint *septem Ordines*, *unum tamen est Sacramentum.* Quia omnes ordinantur ad eundem finem, puta ad Corpus Christi verum & quia omnes in uno Sacerdotio includuntur. Sacerdos enim potest omnia quæ inferiores, sed non è contra.

Ostia-

1. *Ostiarii officium* est excludere ab Ecclesia indignos, scilicet Infideles, Apostatas, Hæreticos, Excommunicatos, Interdictos, Energumenos: item Cathechumenos post Evangelium, & admittere dignos.

Materia Ostiarii sunt claves, per quarum traditionem datur hic ordo. *Forma* sunt verba Episcopi claves tradentis.

2. *Lectoris Officium* est legere populo in Ecclesia lectionem Prophetarum, & aliam Ecclesiasticam ex loco eminentiore ut populus audiat.

Materia Lectoris sunt libri in quo illæ lectiones sunt scriptæ. *Forma* verba Episcopi.

3. *Exorcistæ officium* exorcizare & imponere manus supra cathechumenos ad fores Ecclesiæ ante baptismum, & exorcizare energumenos, ac dæmones ab illis expellere. *Materia*, traditio libri exorcismorum. Romæ inolevit mos à multis annis, ut detur Missale. *Forma*, verba Episcopi librum tradentis.

4. *Acolythi officium* est præparare ampul-

las vini & aquæ & dare Subdiacono: portare cereos ante Sacerdotem, & eos tenere cùm legitur Evangelium in Missæ Sacrificio. *Materia.* Traditio candelæ extinctæ & ampullarum vacuarum. *Forma.* Verba Episcopi hæc tradentis.

5. *Subdiaconi officium.* 1. Erga Eucharistiæ celebrationem, præparare materiam quæ debet consecrari, uti vinum & panem, & dare Diacono. 2. Erga corpus Christi mysticum, instituere cathechumenos absente aut impedito Diacono. 3. Canere Epistolam in Sacro. 4. Corrigere fratres ex officio. *Materia & Forma,* ut supra.

6. *Diaconi Officium.* Est ministrare in sacro Sacerdoti vinum & panem. Scilicet præparare calicem & panem ei dare, & in toto sacro ministrare. 2. Sangvinem Christi populo ministrare, quando hic esset dandus. Imò & deferre Corpus Christi in patena, non tangendo illud. 3. Legere Evangelium in Ecclesia, aut illud cantare. 4. Instruere catechumenos, & prædicare Evangelium fidelibus, ac infide-

infidelibus ex commisſione, Sacerdote impedito: legere homilias, concionari. *Materia & Forma*, ut ſupra.

7. *Presbyteri* ſive Sacerdotis officium, eſt conſecrare Corpus & Sangvinem Chriſti. 2. Abſolvere à peccatis. 3. Paſcere verbo, exemplo, & doctrinâ populum, ſub Epiſcopo tamen, tanquam Epiſcopi concionator. Alioqui concionari fidelibus res eſt propria Epiſcopi. *Materia*, eſt traditio calicis præparati cum vino & aqua, & patenæ cum hoſtia. *Forma*: Accipe poteſtatem offerendi in Eccleſia Sacrificium pro vivis & defunctis ut ait *Conc. Florent. in decret.* Eugenii IV. *de Sacerdot.*

§. 7. *De Epiſcopatu.*

Epiſcopatus, ut dictum eſt, non eſt Ordo diſtinctus, ſed gradus Ordinis. Id eſt Summum Sacerdotium. Poteſt ſupra ſimplicem Sacerdotem duo Sacramenta conferre, Confirmationem & Ordinem. *Conſecrare* oleum Infirmorum ſeu Extremæ unctionis, ſeu Chriſma, & oleum

Cathechumenorum. *Benedicere* vasa & vestes, & res alias ad Sacrificium, vel Sacramenta pertinentes. Multa alia *Jurisdictionis exercere*, & per se tanquam proprium munus ad se spectans *concionari* ad Fideles, & esse populi Doctorem.

§. 8. *De Matrimonio.*

Matrimonium est viri & fœminæ legitimus & mutuus consensus per verba, seu signa exteriora, de præsenti expressa tradentium invicem sui dominium in perpetuum ad filiorum procreationem. *Vel brevius.* Est Sacramentum indissolubilis conjunctionis viri ac fœminæ ad filiorum procreationem.

Efficiens. Est ipse mutuus consensus per verba de præsenti expressus.

Materia. Sunt personæ ipsæ, & illarum externi actus, per quos indicant consensum seu traditionem. *Forma.* Verba exprimentia consensum, vel illis aliquid æquivalens.

Effectus. Gratia ad usum Matrimonii legitimum, & prolis procreationem, educa-

educationem, & ipsius Matrimonii indissolubile vinculum.

Minister. Sunt ipsi contrahentes sed post Concil. Trid. necessariò requiritur Parochus proprius, vel de ejus licentia alter Sacerdos, & duo saltem testes præterea.

Suscipiens. Persona legitima, hoc est vir & fœmina nullo canonico impedimento impediti.

§. 9. *Ad Matrimonium contractus multiplex spectat.*

Nam 1. sunt *sponsalia* per verba de futuro. 2. *Matrimonium* per verba de præsenti. Et hoc matrimonium, vel est inter nondum baptizatos, quod propriè vocatur conjugium: est enim solus naturæ contractus per verba vel signa de præsenti exprimentia consensum mutuum tradentium invicem sui dominium ad procreationem filiorum. Vel est inter jam baptisatos: & hoc non solùm est contractus naturalis, sed pariter Sacramentum, significans unionem Christi

cum Ecclesia & dans gratiam conjugatis, quod ideò etiam vocatur Sacramentum ratum: illud verò conjugium naturæ dicitur Matrimonium non ratum, quia est non fidelium, & ideò minorem habet firmitatem quàm fidelium. Hoc rursus Matrimonium ratum, vel est ratum per verba tantùm de præsenti sed non consummatum, aut ratum & consummatum, quod est omninò indissolubile. Sunt & aliæ differentiæ. Ut, quòd sit Matrimonium verum vel fictum, validum, legitimum, vel illegitimum, item absolutum, vel conditionatum. Et habet alias accidentarias differentias ex parte verborum, vel consensûs, vel personarum, quas longum esset recensere, quæ ex Theologis moralibus cognosci poterunt. Verùm nota.

In quovis Sacramento contineri hæc tria. 1. *Sacramentum tantùm*, vel illa signa sensibilia & verba, quæ significant tantùm & non sunt res significatæ. 2. *Res tantùm*, vel gratia significata per illa signa, scili-

ſcilicet res ſignificata, aliud non ſignificans. 3. *Res & Sacramentum ſimul*, vel, ut ſignificans & ſignificata ſimul: hoc eſt. Significans gratiam & ſignificata per verba & ſigna ſenſitiva. Hæc autem eſt in ſingulis Sacramentis quidam alius adhuc effectus præter gratiam. Videlicet in tribus quæ imprimunt Characterem eſt ipſemet Character. In Euchariſtia eſt Corpus Chriſti ſub ſpeciebus contentum. In Pœnitentiæ Sacramento eſt contritio interna, in Extrema unctione eſt interna devotio & quaſi ſpiritualis unctio. In Matrimonio, indiſſolubilitas, ſeu vinculum Matrimonii.

ARTICULUS II.

Caſus præcipui circa ſingula Sacramenta.

NOn ſufficit Sacerdoti generalis illa Sacramentorum cognitio de qua hactenus, ſed neceſſe eſt ut cognoſcat & caſus occurrentes circa ſingula Sacramenta

menta, præcipuè magis necessarios ac frequentes v. g.

§. 1. *De Baptiʃmo.*

Circa cujus Materiam hæc Regula est.

Materia debet esse aqua naturalis, scilicet Elementaris, aliàs non tenet Baptismus. Et si dubium fuerit an sit aqua elementaris, dubius quoq; erit Baptismus, atque ex hac regula omnes casus erunt judicandi. Unde non in vino aut alio liquore nec in aqua artificiali, ut est rosacea, vel alterius herbæ, aut ex fructibus expressa, nec in aliis aquis non elementalibus, ut sunt minerales. Nec in saliva, sudore, lixivio, urina. Nec in glacie nisi liquescat, nec in aliquo humore qui non sit aqua elementalis, Baptismus valet. Quodsi aquæ elementali misceatur aliquid, ut sal, vinum, butyrum, mel, &c. Tunc, siquidem speciem & nomen aquæ retinebit, ut dicatur aqua salsa, vinosa, mellita, tenebit Baptismus. Si verò contrà, ut dicatur vinum

vinum aquosum, non tenebit. Idem etiam est dicendum de mineralibus quibusque aquis, ut sulfureis, aluminosis, ferruginosis, quæ mistionem habent cum aqua elementali. Quòd autem aqua sit calida vel frigida, vel tepida, vel alio modo alterata, aut facta rubra, viridis, vel alio colore affecta, nihil refert ad substantiam Baptismi.

Circa Formam Regulæ.

1. *Regula* Generalis est. Tam in Baptismi forma, quàm aliorum Sacramentorum, dum formæ sensus relinquatur, quocunque modo fiat ejus mutatio vel corruptio, vel additio, vel detractio, vel commutatio, vel in hanc aut illam lingvam translatio, ita ut sensus maneat, tenet Sacramentum, licet committat sacrilegium quicunque quomodocunque formam Ecclesiæ consuetam mutaverit quâvis intentione.

2. *Regula*. Significatio verborum est spectanda tum ex proprietate grammaticali verborum, tum ex accommoda-

modatione usûs Ecclesiæ ipsorum verborum, ita, ut etiamsi proprietates Grammaticæ non maneant propter Barbarismos ac Solœcismos, dummodo significatum principale ex usu & accommodatione Ecclesiæ maneat. Ut si quis dicat. *Ego te Baptiso in nomine Patrias, & Filias, & Spiritus Sancto*, Baptismus tenet.

3. *Regula* particularis de Baptismo, ex hac sequitur, quòd in Baptismi forma dummodo explicetur actus baptisantis qui per ipsum ministrum exercetur, ut si v. g. baptisetur cum invocatione trium personarum SS. Trinitatis semper tenet Baptismus quibusvis verbis fiat, & quocunque idiomate.

4. *Regula*. Cum dubium est, an aliquis sit baptisatus (& idem est de aliis Sacramentis) utendum formâ conditionatâ. Ut, *si non es baptisatus, ego te baptizo, &c.*

Ex his regulis ferendum judicium de omnibus casibus, tam circa Baptismi, quàm aliorum Sacramentorum formam.

De

De variis modis quibus poteſt forma variari, & variis caſibus in ejus variatione.

Variari autem poteſt forma quinque modis. Verborum immutatione, corruptione, detractione, additione, transpoſitione.

1. *Mutatio verborum* in Baptiſmo, poteſt eſſe in primo, ſecundo, tertio, verbo, vel ſimul omnibus. In primo verbo, ſi dicatur pro *Ego*, Nos te baptiſamus. Tunc enim teneret, ſi ſenſus ſit in ſingulari propter gravitatem perſonæ, ut ſi ſit Epiſcopus, ſed peccaret. Si diceretur: *DEus, Chriſtus*, SS. *Trinitas te baptizet*, non teneret, quia non exprimitur actus baptizantis.

In ſecundo verbo, pro *Te*, vos, ſive in ſingulari, ſive in plurali, dum omnes ſimul baptizaret teneret. Item ſi nomen proprium exprimeret, vel commune appellativum, *hunc ſervum Chriſti*, *hunc hominem*, teneret.

In tertio verbo. *Baptizamus* in ſingulari

gulari significans teneret, sed non in plurali. *Baptizatur* in Indicativo, & *baptizetur* in Imperativo, tenet. Sed *baptizetur* in Optativo, non teneret. *Quia* non exprimitur actus baptizantis sed desideratur.

Abluo, tingo, immergo, & similia tenent, quia idem significant quoad rem ipsam & baptizandi actum.

In quarto verbo. In nominibus Patris & Filii & Spiritûs S. non teneret. Quia indicaretur diversitas essentiæ personarum divinarum.

In quinto verbo. In nomine Domini. Non teneret, quia non exprimitur SS. Trinitas.

In nomine SS. Trinitatis, non teneret, quia non explicantur Personæ cùm, id sit necessarium, nec etiam, *in nomine SS. & individuæ Trinitatis*, ob eandem causam. Neque si una tantùm, vel duæ tantùm, nominarentur Personæ, propter eandem causam.

In nomine Christi. Olim ex dispensatione, ut probabilior asserit opinio, tenuit,

tenuit, sed modò dubium est an teneret. Nam affirmare id videtur D. Ambrosius, & habetur in cap. *A quodam Judæo, de consecratione.* Probabiliùs est quod non teneret.

In nomine Patris, Geniti, & Spiritûs S. In nomine Generantis, Geniti, & Procedentis, vel quibusvis aliis nominibus significantibus ipsas personas per earum aliquas proprietates, teneret, ut probabilior opinio asserit.

Item *Latinè, Græcè, Arabicè*, aut quovis alio idiomate forma proferatur, tenebit ejusmodi baptismus.

2. *Additione.* Ut, *Baptiso te in manibus meis hodie in Ecclesia. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. & B. V. Mariæ*, & quidcunque addatur quod non mutat sensum, tenet Sacramentum. Sed si additio mutaret sensum. Ut in *Nomine Patris majoris, & Filii minoris* &c. non teneret.

3. *Detractione*, omittendo aliquam dictionem formæ. Si omittatur vox *Ego*, tenet Baptismus, nam subintelligitur in

verbo

verbo *Baptizo*. Si verò aliqua alia dictio desit, non est Sacramentum, quia est imperfectus sensus, ut si dicatur, *Baptiso te*. Vel nominetur tantùm una, vel duæ Personæ.

4. *Transpositione*. Ut *in nomine Spiritûs S. Filii, & Patris te baptizo*. Vel quomodocunque aliter commutetur ordo verborum, teneret; nisi tanta esset verborum transpositio quæ sensum mutaret. Ut *Baptizo te nomine & Patris*.

5. *Corruptione vocabulorum* per barbarismos scilicet & solœcismos. Ut, *in nomine Patrias & Filias*, vel quomodocunq; aliter, dummodo sensus maneret. Saltem ex accommodatione usûs Ecclesiæ: Baptismus teneret.

Circa Ministrum Baptismi.

Minister. Ex officio est Sacerdos, ut diximus, aut quivis alius in casu necessitatis. Sed debet servari ordo & decentia, seu debita ministratio, scilicet ut cùm adest Sacerdos ipse baptizet, Laicus cedat Clerico, mulier viro, Clericus Subdiacono

diacono & hic Diacono. Quodsi non adsit fidelis aliquis, aut non præcisus ab Ecclesia: tum etiam infidelis & præcisus ut Excommunicatus, vel Hæreticus possunt baptizare; & teneret Baptismus, dummodo vellet facere quod facit Ecclesia, vel quod faciunt Christiani, vel quod instituit Christus. Requiritur in Ministro talis intentio, non autem fides.

Quodsi unus aquam affunderet, alter formam proferret, non teneret Baptismus. Quia forma esset falsa: *Ego te baptizo*. Sed *si duo* pariter ex æquo *baptizent*, & affundant aquam, & simul proferant formam, teneret. Quia ab utroq; & à singulis profertur forma, & à singulis perficitur Sacramentum. Quodsi alter illorum citiùs formam cum ablutione absolverit, ille solus baptizabit. Seipsum autem nullus potest baptizare.

Casus varii circa ritum & modum baptizandi.

Si potest servari solennitas Ecclesiæ servanda erit; sin autem, non erit necessarium;

ſarium: poterit poſtea ſuppleri ſi quid ex ea deſit.

Poteſt fieri in una merſione ſola, vel trina juxta conſuetudinem Regionum, ſed melius in trina, & meliùs in merſione, quia ſignificantiùs. Sed etiam poteſt fieri infuſione aquæ, vel aſperſione, vel tinctione, juxta morem Patriæ ac neceſſitatem. Et quidem aſperſione unius Perſonæ, vel etiam plurium fieri poſſet, & initiò credendum eſt feciſſe Apoſtolos, cùm plura millia ſimul converteban-tur ac baptizabantur ſimul.

Quid *ſi morituram Puerum* in *puteum* quis projiceret? Baptiſmus non eſſet validus, quia tunc non eſſet vera forma, *Ego te baptizo*, ſed ipſe ſuo ſe pondere immergeret quamvis aliqui putant etiam in hoc caſu eſſe Baptiſmum. Ut Panormitanus & Major.

Quid ſi ex manibus *in fontem baptiſmalem excideret* & ſuffocaretur? Non eſſet ex eadem ratione Baptiſmus, & quia careret ſignificatione Baptiſmi. Quæ eſt mori cum Chriſto cùm mergitur, &

cum

cum eodem reſurgere ad novam vitam, cùm emergitur. Sacramenta autem efficiunt quod ſignificant, & hoc eſt probabilius. Sed ex divina miſericordia benè de illo Puero ſperare liceret. Quod ſi poſt abſolutam formam id accideret, tunc teneret. Ac ſimiliter ſi ubi ter mergitur ante ſecundam; vel tertiam merſionem moreretur, forma autem ante merſionem eſſet abſoluta, teneret.

Caſus circa ſuſcipientem Baptiſmum.

Poteſt parvulus, & adultus baptizari. Sed ſi ſit Adultus debet habere intentionem ſuſcipiendi quod dat Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, aliàs non teneret. Unde *ſi invitus*, vel *fingens ſe velle*, non tenet Baptiſmus, etiamſi baptizetur.

Parvulus verò in Parentum vel ipſius Eccleſiæ intentione baptizatur & idem ſi ſit amens à natura.

Infidelium Pueri invitis Parentibus non ſunt

ſunt baptiſandi ſed ſi baptiſarentur baptiſmus teneret. Baptiſari poteſt ſi ſit *ſervus proprius*, id eſt mancipium: Si non ſub Parentum cura, ſi ab iis procul.

Si quis *factus amens* poſt uſum rationis, niſi priùs petierit Baptiſmum, non debet illi dari. Si tamen moreretur, & ante apparuit voluntas ſuſcipiendi, deberet dari, quia creditur voluiſſe: at ſi non eſſet mortis periculum, deberet differri, ſi ſperatur rediturus ad uſum rationis. *Sed quid ſi voluit baptizari, & conſtat illum fuiſſe in peccato mortali à quo* non voluit abſtinere? non eſſet baptizandus, ſed ſi eſt baptizatus ſi poſtea fieret compos mentis, non eſſet rebaptizandus.

Quid ſi fuit *attritus tantùm*? eſt baptizandus & conſequitur gratiam. Et ita eſt dicendum, ne ponamus aliquem in vita exiſtentem extra ſtatum ſalutis, quia Sacramentum facit ex attrito contritum.

In ventre matris exiſtens baptizari non poteſt, quandoquidem ad illum aqua perve-

pervenire non poteſt, & illa eſſet forma falſa, deinde quia non poteſt renaſci antequam naſcatur.

Quod ſi Puer periclitaretur & *aliqua pars tantùm exiret?* Tum ſi caput eſt, baptizandus eſt, & ita verus eſſet Baptiſmus. Si autem eſſet alia pars, pes, vel manus, probabilius eſt, eſſe quoque baptizandum: Idem ſi poſtea naſceretur, ſub conditione baptizandus eſſet, cùm res ſit dubia & in opinione poſita.

Quid ſi Mater moreretur prægnans? Aperienda poſt mortem eſſet, & ſi vivus reperiretur puer baptiſandus eſſet. At ante matris mortem, etiamſi certa eſſet utriusque mors, non debet aperiri, nec accelerari mors ejus. Quia non ſunt facienda mala ut inde eveniant bona, & quia puer eſt potiùs aliquid matris quàm è contra.

Circa effectum Baptiſmi.

Si quis accedat attritus vel contritus ſuſcipit gratiam & characterem, ſi verò fictè accedat, fictione oppoſitâ gra-

tiæ, scilicet in peccato mortali, solùm characterem & posteà cum de peccatis conteritur, suscipit effectum Sacramenti, videlicet gratiam baptismalem. Nam in Sacramentis quæ imprimunt characterem, quia iterari non possunt, redit effectus recedente fictione, aliàs enim esset in vanum susceptum.

Si accedat fictus fictione oppositâ ipsi baptismo, nec characterem, nec gratiam recipit. Quo autem quis meliùs dispositus accedet, eò majorem gratiam accipiet, tam in hoc quàm in aliis Sacramentis.

§. 2. *De Confirmatione.*

Casus circa Materiam.

Quid si *materia non sit benedicta aut consecrata*? præterquam quòd esset sacrilegium si in ea daretur confirmatio, probabilius est quòd non teneret Sacramentum. Est enim materia Chrisma consecratum ab Episcopo ex oleo & balsamo. Debet ab Episcopo benedici, quamvis per dispensationem Pontificis, pos-

posſit Chriſma & à ſimplici Sacerdote confici.

Si *ſit ſolum oleum ſine balſamo* probabilius non tenere Sacramentum, quia materia non eſt oleum, ſed Chriſma. Licet contraria opinio ſit etiam probabilis. Hoc tamen certum eſt, ſi non de neceſſitate Sacramenti, ſaltem de neceſſitate præcepti, & tanquam partem integralem eſſe balſamum, licet eſſentia materiæ Sacramenti ſine illo eſſe posſit, ſicut homo ſine brachiis.

Circa Formam.

Verba illa, *In nomine Patris &c. omnia ſunt de eſſentia*, ſicut etiam in Baptiſmo, non autem in aliis Sacramentis. Ratio eſt. Quia hæc duo Sacramenta ſunt fidei. Nam in Baptiſmo eſt profesſio & ſuſceptio fidei. Hoc verò Sacramentum eſt ad confesſionem & defenſionem fidei. Illic fides infunditur, in hoc, ad ejus confesſionem & defenſionem mentis robur datur. Illic naſcitur Chriſtianus: hìc confirmatur, au-

getur, roboratur. Atque ita per hoc Sacramentum ut aliqui Canones dicunt, fit perfectus Christianus.

De Mutatione & corruptione formæ consimilia possunt dici, quæ de forma Baptismi diximus.

Circa Ministrum & effectum hujus Sacramenti nihil videtur esse difficultatis apud eum qui dicta superiùs percepit.

Casus circa Suscipientem.

Non est omninò necessarium ad salutem, nam sine illo potest quis salvari. Sed si contemneret, peccaret mortaliter.

In *Quavis ætate datum tenet*, sed melius est si detur post usum rationis. Ante Baptismum non potest dari, nec datum teneret.

§. 3 *De SS. Eucharistiæ Sacramento.*

Videbimus quid sit de ejus institutione, consecratione, usu, adoratione, asservatione, viatico.

I. Est *Sacramentum* & *Sacrificium*. Sacramentum quatenùs est cibus & potus,

tus, significans & efficiens gratiæ spiritualis nutritionem. *Sacrificium* verò est oblatio, & consecratio veri Corporis & Sangvinis Christi, significans Christi oblationem & mortem in cruce.

2. Utroque modo est *instituta* à Christo in die cœnæ, ubi & Apostoli instituti Sacerdotes, qui eam consecrarent, quibus hac in re succedunt Sacerdotes.

3. *Consecratio* fit ipsissimet verbis quibus Christus est usus, in debita materia prolatis: per quam consecrationem substantia panis vertitur in Corpus, & substantia vini in Sangvinem Christi, quæ mutatio, dicitur Transsubstantiatio. Nihil autem mirum si verbis Christi fiat Sacramentum, cujus verbo facta sunt omnia, sub specie tamen panis per concomitantiam est Sangvis, & sub specie vini Corpus.

4. *Usus* verus ejus sub una specie in aliis ab eo, qui celebrat, est decentior & sic expedit fieri. Nec verò Christus præcepit, ut omnes sub utraque specie

ſumerent, ſed reliquit Eccleſiæ diſpoſitioni.

5. *Adorari* ibi meritò Chriſtus debet adoratione latriæ, quandoquidem ibi præſens eſt, & ubicunque eſt, fraudari non debet ſuo honore, maximè propter tale ac tantum beneficium nobis collatum.

5. *Aſſervari* utile eſt, decens, ac neceſſarium ad multa, ad infirmorum ſubſidium, ad adorandum, ad orandum, & protegendum nos, quia ipſemet dicit, ut quidam Doctor de hoc Sacramento interpretatur. *Ego vobiſcum ſum usq; ad conſummationem ſæculi.* Magnâ ergò diligentiâ in aſſervatione cavendum, ne putrefactio, aut corruptio aliqua ſpecierum accidat, & in loco decenti cum luminibus aſſervandum.

7. *Viaticum* tandem eſt morientium ad eorum felicem exitum de hac vita, & reſurrectionem, atque acquirendam gloriam. Nunc particulatim de illo agemus, & primò quatenus eſt Sacramentum.

Circa

Circa Materiam Panis.

Regula generalis est, debet esse panis triticeus, alioqui non erit Sacramentum, & si dubitaretur an sit panis triticeus, tum etiam dubium erit, an sit vera consecratio facta. Unde.

In pane ex siligine, spelta, farre, dubium an teneret consecratio. Hæc enim aliqui suspicantur ac dubitant tritici esse speciem, maximè siliginem.

In pane hordeacco, millio, fabis, & omnibus aliis leguminibus, vel radicibus & pane ex illis confecto, non teneret consecratio, quia non efficiunt triticeum panem.

In massa triticea dubium est an teneret. Probabiliùs tamen est quod non. Quia sic existens non est panis.

In Amylo dubium est, videtur enim esse mutata species, & ita non teneret.

Pultes aut farina, aut triticum ipsum integrum, non sunt panis. Ad hoc enim ut aliquid possit dici panis, opus

est ut sit solida materia & commassata; non verò integra etiamsi sit eadem.

In pane fermentato & azymo tenet. In pane misto oleo, lacte, vino aut alio liquore loco aquæ, licet aliqui dubitent, tenet. Nam verè est panis triticeus. Similiter de farina aliarum rerum vel leguminum unà cum triticea mixta, si major pars esset tritici, ita ut possit dici panis triticeus, teneret: secùs non.

Circa Materiam vini.

Regula est. Simili proportione de vini materia dicendum. Dummodò sit & possit dici vinum ex vite, tenet consecratio: Si verò non sit vinum vitis, non tenet. Unde.

In vino ex oryza confecto, vel ex pomis, consecratio non teneret.

In aceto, vel omphatio etiam vitis, non teneret. Vel si racemus aut botrus vini consecraretur.

In musto teneret, sed non debet fieri. Nam defæcatio illa quæ fit in vase non mutat speciem.

In vino acetoso teneret, est enim vinum licet aliquomodo corruptum, dummodò non sit tanta corruptio, ut mutet speciem.

In vino misto aquâ vel alio liquore, si facta sit mistio, ut ampliùs non dicatur vinum, sed aqua vinosa, vel oleum vinosum, non teneret At si dicatur vinum dilutum, vinum oleosum, teneret consecratio.

Circa Formam.

Particula, enim, non est de essentia, sed illam omittere esset Sacrilegium.

Verba illa omnia in consecratione Sangvinis, sunt quidem de integritate formæ, & de necessitate præcepti, sed ad essentiam Sacramenti non sunt omninò necessaria. Nam essentia Sacramenti posset esse his verbis. *Hic est Sangvis meus.* *Pronomen, Hoc*, quid demonstret sunt variæ opiniones. Probabilior est, demonstrare ipsum Christi Corpus contentum sub speciebus quod per ipsammet consecrationem & prolationem ibi

 fit.

fit. Nam forma facit quod significat, ut si quis describeret circulum, & pariter describendo diceret. *Hic est circulus*, illum ipsum quem facit demonstrando.

Circa consecrationem ipsiusque effectum.

Quia in forma consecrationis dicitur, *Hoc, hic*, debet esse *præsens Materia* quæ consecratur. Sed si sit præsens *quantacunq; quantitas*, potest consecrari.

Quid si quis habeat coram se *decem hostias*, & intendat *consecrare novem* vel undecim? Si plures voluit consecrare quàm ibi sint, omnes erunt consecratæ, si pauciores quàm ibi erant, nulla erit consecrata.

Quid si aliquis *vellet mediam hostiam consecrare?* Si indeterminatè, nulla erit consecratio. Si determinatè hanc vel illam partem intendat, illa erit consecrata, & idem putarem dicendum de vino.

Quid si in hostia appareat caro, sangvis, puer,

puer, ut aliquando contigit? Si constanter & omnibus idem semper appareat, non est sumenda sed servanda inter reliquias. At si ad tempus tantùm, & aliquibus solùm appareat, poterit postea sumi, quia tum non est facta mutatio in re ipsa sed in oculo.

Quàm diu manet sub speciebus panis & vini Corpus & Sangvis Christi? Quàmdiu manent species panis & vini incorruptæ, ita ut sub eis possit, si esset, conservari substantia panis & vini.

Quid si aliquis liquor misceatur Sangvini Christi post consecrationem? Esset sacrilegum id facere. Sed quàmdiu manent species vini, tam diu ibi manet Sangvis Christi.

Circa Ministrum.

Minister est solus Sacerdos. Sed *quid si esset excommunicatus*, irregularis, suspensus, interdictus, degradatus, Schismaticus, Hæreticus, Apostata, *possetnè consecrare?* Gravissimè quidem peccaret, sed teneret consecratio, quia character

racter Ordinis in iis manet. Et si interdictus, suspensus, excommunicatus id faceret, fieret irregularis.

Circa Suscipientem.

Suscipiens debet esse ita præparatus, ut dignè sumat. *Ut sit absq; mortali peccato*, & si in eo fuerit ut confiteatur, vel si id non possit facere, sit contritus aut saltem ita attritus ut se putet contritum, idque si necessitas celebrandi urgeat, aliàs abstineat: Et si ita contritus vel attritus celebraverit, quàm primùm deinde confiteri poterit, confiteatur.

Sit jejunus jejunio naturali. Quidsi quid per modum salivæ tantùm deglutiisset? Non impedit. Infirmus verò si aliter commodè ob ejus infirmitatem fieri non potest, etiam non jejunus viaticum accipere potest.

Non sit etiam pollutus pollutione nocturnâ, vel in vigilia, quæ sit peccatum, vel ex causa peccati, intra 24. horas. Nam & hæc impedit etiam post confessionem,

nem, & esset periculum accedere, ob irreverentiam. Sed si esset sine peccato nocturna, vel actus cum conjuge, tum solùm ex decentia impedit, & est consilii abstinere: imò si fuisset cum peccato, sed jam confessus, & omninò liber à perturbatione.

Non puer, quamvis olim pueris sit data Eucharistia. Sed convenientiùs non datur. Quia nec possunt se probare, nec dijudicare Corpus Domini, ut postulat S. Paulus, & periculum esset aliquando irreverentiæ.

Non amens à natura. Sed si fuit rationis compos & petiit, & postea incidit in phrenesim, si non timetur irreverentia, non est illi denegandum.

Non obsessus à Dæmone. Non Cathechumenus, multò minùs infidelis, Hæreticus, Apostata. Et ut summatim dicam, tenentur sumere Fideles adulti, postquam incipiunt, vel possunt dijudicare Corpus Domini, & se probare, idque saltem semel in anno ex præcepto Eccle-

Ecclesiæ, & ex jure divino in mortis articulo.

Quidsi occultus peccator sed Sacerdoti manifestus petat Eucharistiam? Si petat publicè non erit deneganda, ne infametur: Si verò petat secretò, erit deneganda. Hæc de Sacramento Eucharistiæ quatenus est Sacramentum. Nam quatenus est Sacrificium.

De Sacrificio Missæ.

Missa est Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi.

Sacrificium est oblatio alicujus rei, circa quam aliquid fit in DEI honorem ut Creatoris & omnium Domini, nempe cùm res oblata vel comburitur, vel consumitur, spargitur.

Accipitur aliquando Sacrificium pro ipsa actione offerendi & sacrificandi, aliquando pro re ipsâ oblatâ & sacrificatâ.

Sacrificium Missæ, est oblatio & consecratio; & à Sacerdote sumptio Corpo-

ris & Sangvinis Christi, in memoriam Christi in cruce oblati.

Alia autem quæ fiunt in Missa ante vel post consecrationem, sunt orationes, obsecrationes, postulationes, & gratiarum actiones DEO ad ejus honorem, & tantum susceptum beneficium.

Effectus Sacrificii Missæ, est remissio peccatorum & gratia, & impetratio omnium quæ justè postulamus, & tandem tota virtus passionis Christi per hoc Sacrificium nobis & Ecclesiæ applicatur.

Valet autem hoc Sacrificium *tribus modis*. 1. Per modum meriti, impetrationis, & satisfactionis. Differunt autem hæc. Quia *meritum* dicit justitiam & æqualitatem præmii quod debetur ab altero ob ipsius dignitatem. 2. *Satisfactio* verò dicit justitiam & æqualitatem debiti quod quis debet ad solutionem, vel alter pro eo. 3. *Impetratio* autem non dicit justitiam aut æqualitatem debiti; sed quòd ex vi precum, vel amo-

amoris flectit alterius voluntatem ad acquirendum petitum.

Non tantùm valet hoc Sacrificium oblatum pro uno ac pro multis. Quia etsi res oblata ex se sit infinita, tamen modus offerendi finitus est, & actio offerentis, & ipsa applicatio. Nam doni quantitas aut beneficii, non solùm æstimatur ex quantitate rei datæ, sed ex actione & voluntate offerentis.

Potest verò offerri pro vivis & defunctis, pro peccatoribus & justis, pro omnibus denique fidelibus & omni statu, totaque Ecclesia.

Valet præcipuè *ipsi qui offert*, & Ministro ejus, & adstantibus, peculiari ratione, nisi obicem ponant, idque proportione quâdam plùs minùsvè. His aut illis pro ratione dispositionis ipsorum, & applicationis Ecclesiæ vel Ministri, & ordinationis designatæ à Christo.

Valet pro obtinenda remissione peccatorum. Ad gratiam augendam & obtinendam, pro satisfactione pœnarum, & aliis

aliis necessitatibus, aliorumque malorum liberatione, & etiam temporalium bonorum impetratione. Ad obtinendum deniq; omnia bona Spiritualia, & dona Spiritûs S. & virtutes, & omnia quæ justa sunt, & sancta desideria adimplenda, & beatitudinem æternam.

Circa ritum, locum, tempus, & modum celebrandi.

Locus debet esse Sacer, vel de licentia potest celebrari in non sancto cum altari portatili.

Tempus. Ab initio diei ad meridiem ex consuetudine Ecclesiæ, nisi quis habeat dispensationem, quâ antè, vel post celebrare posset. In die præterea Natalis Domini circa mediam noctem ex consvetudine Ecclesiæ.

Sed propriè Missæ est tempus, & etiam olim fuit consuetudo, à prima diei hora usque ad nonam, horas incipiendo computare à solis ortu, si spectemus ejus significationem, quia illud

est

eſt tempus paſſionis, quo Dominus ſub poteſt te Judicum fuit usque ad emisſionem Spiritûs. Per illas, inquam, novem horas, à prima ad nonam. *Sed* nunc conſuetudo Eccleſiæ ſervanda eſt.

Tenetur autem *celebrare* Sacerdos, ſi habet Beneficium, juxta ejus obligationem: Si non habet, aliquoties in anno, ſaltem diebus celebrioribus, ne talenti abſconditi pœnis ſubjaceat.

Non poteſt quis pluries in die celebrare aut communicare. Excipiuntur tamen aliqui caſus. In die Natalis Domini posſunt fieri tria ſacra. Item ſi quis habeat duas Eccleſias, quæ commodè duos Sacerdotes habere non poſſunt, talis petat licentiam bis celebrandi. Item ſi moreretur aliquis & viatico careret. *Sed* cùm primum Sacrum celebratur, non eſt ſumenda ablutio. Reliqui caſus qui olim excipiebantur, non ſunt ampliùs in uſu.

Si celebret quis *in veſtibus non conſecratis* committit ſacrilegium, & fit irregu-

regularis, item si sine vestibus celebret scienter.

Si quis *consecraret sub una tantùm specie*, teneret quidem consecratio, sed esset sacrilegium. *Dare populo sub utraque specie* non licet, nec decet, sine Papæ licentia.

Aqua vino miscenda de necessitate præcepti, in modicissima quantitate, ex Ecclesiæ traditione. Significat autem Christi cum Ecclesia conjunctionem. Sed non est de necessitate Sacramenti.

Modus celebrandi debet esse cum magna reverentia servatis omnibus Ecclesiæ ceremoniis, dictis & factis, cum Ministro masculo, candelis accensis.

De Vestimentis quibus utitur Sacerdos in Sacrificio Missæ.

Mirum profectò est quanto ornamentorum apparatu, & cultu, DEus sanxerit, Pontificem antiquæ legis decoratum sacrificia facere, ut in Exodo legitur, idque duplici de causa. Altera ad populi attentionem captandam circa divina

divina. Altera, & quidem potissima, ad nostrum Sacerdotium designandum. Certè ratio nostri Sacrificii postulat, ut Sacerdotes non nisi Sacris induti vestibus sacra faciant, nempe ad repræsentandam Passionem Christi, & ad excitandam devotionem nostram, ut efficaciùs fructus ejusdem Pasionis percipiamus. Ac demùm ut Sacerdotes ornatu illo vitæ excellentiam profiteantur, quâ reliquo vulgo præstare debent. Videamus de singulis.

Amictus seu humerale. Hoc, si ad Passionem spectes, significat velum illud quo Judæi faciem Christi velabant, dicentes: *Prophetiza nobis Christe.* Si ad animæ armaturam, de qua Apostolus Ephes. 6. *Galeam salutis assumite.* Quod autem Judæi Christo faciebant ad ignominiam, nos ad gloriam.

Alba. Vestis linea est, candida & munda, quæ talaris dicitur, eò quòd ad talos usque descendat. Hæc autem memoria est illius quâ Herodes Christum induit, & illusit. Quæ illusio

sio honor noster esse debet. Huic simili utebantur legales Pontifices. Non debet esse lanea aut pellicea, quæ ex mortuis animalibus fit, quali Adam ex Paradiso ejectus, indutus fuit, sed linea quæ morum pulchritudinem, & gloriæ candorem repræsentat, quem Christus in transfiguratione vestimẽtis suis exhibuit.

Zona. Huic Zonæ seu cingulo in veteri Sacerdotio respondebat baltheus. Si ad passionem referatur, significat ligamenta quibus Christus in horto ligatus fuit. Si verò ad mores, fidem demonstrat, quæ justitiam nostram succingere debet.

Manipulus à sinistris pendens, significat vincula quibus Christus per manus ad columnam fuit alligatus. Qui idem funis in brachio sinistro cordi vicino amorem nobis commemorat, quo ad expianda nostra peccata, cruenta flagella pertulit, quo etiam mutuum amorem se rependere Sacerdos profitetur. Hujus itẽ gratiâ flagella hujus mundi, tanquam

fructus

fructus pœnitentiæ tolerandos Christiano docemur.

Stola. Vinculum illud repræsentat, quo Christus crucem bajulans per collum fuit alligatus. Quoad mores verò obedientiam & jugum Domini, cui collum quasi loro ligati submittimus ad portandam crucem Domini, ejus vestigia sequentes.

Casula, dicitur & *Planeta.* Designat Christi tunicam inconsutilem, quâ exutus fuit Cruci affixus. Quoad mores, Charitatem, quæ ipsum ad crucem perduxit, & in nobis ut ait Apostolus, multitudinem peccatorum operit. Indumentum hoc à primordiis Ecclesiæ erat undiquè conclusum usque ad pedes sine manicis. Sacerdos verò complicabat utrinque ut brachia exirent. Postea verò ut Sacerdotis usus casulæ aptior esset, ab utroque latere, incisa est.

De his vestimentorum generibus *D. Hieron. ad Fabiolam*, *Rabanus lib. de instit. Cleric*, *Hugo lib. 1. c. 44. de officio Missæ.*

Quæ

Quæ Eccleſia ſumpſit ut credit *Lug. cap.* 4. à Vetere lege.

Requiritur etiam ad celebrationem Miſſæ, templum; Ara, quæ ſolet dici altare portatile, Sindones altaris, Corporale, Palla, Patena, Calix, qui debet eſſe ex auro vel argento, vel ſtanno, gemma, & non ex alia materia. Miſſale, Candelabra, Frontale, ſeu Antependium.

Circa defectus Miſſæ.

Quid faciendum ſi Sacerdos celebrans moriatur, vel morbo corripiatur? Si id accidit ante conſecrationem, Miſſa omittatur. Si poſt, ab altero Sacerdote perficiatur, ab eo loco incipiendo in quo prior deſiit.

Quid ſi celebrans *inveniens ſe eſſe in mortali vel Excommunicatione, Suſpenſione, Interdicto, Irregularitate, vel non jejunum?* Si ante conſecrationem tutius eſt ut dimittat Miſſam; ſi abſit ſcandalum præſertim verò ſi ſit excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, irregularis. Si poſt

post inceptam cõsecrationem, prosequatur, sed priùs doleat de peccato, & de negligentia conscientiæ suæ, quòd non fuerit antè recordatus.

Quid si aranea, musca, &c. cecidit in calicem? Si ante consecrationem, effundat vinum & aliud assumat. Si post, animal comburatur, & cineres mittantur in piscinam, & Sangvis Christi sumatur. Si sit vinum infectum veneno, aliud assumat, & in alio calice consecret. Immisso autem panno lineo vel stuppâ, quæ imbibat Sangvinem veneno infectum, postea desiccatum comburatur; & cineres vel reponendi in Sacrarium, vel in piscinam mittantur. Quodsi sumpserit jam hostiam, incipiat à consecratione hostiæ.

Quid si post consecrationem vini recordetur se non affudisse aquam? Non affundat, sed ita sumat. Sed si post consecrationem hostiæ solius statim id recordatus, affundat aquam, & consecret.

Quid si post consecrationem hostiæ deprehendat solùm esse aquam & non vinum in

calice

calice. Si post consecrationem hostiæ, ante sumptionem illius, tunc vinum apponat, & factâ oblatione, statim consecret. Si post sumptionem hostiæ, & talis calicis, incipiat à novæ hostiæ oblatione & consecratione.

Quid si dubitat se protulisse verba consecrationis? dicat ea iterum cum intentione conditionata, scilicet, *si est consecratum non consecrandi*, aut deponat conscientiam.

Quid si hostia disspareat post consecrationem, aut à vento rapiatur, vel à mure comedatur, vel aliter ut non reperiatur? Ponat aliam, & factâ oblatione, statim consecret.

Quid si propter frigus, aut aliam causam, hostia consecrata ceciderit ex manibus in calicem? Sumat suo tempore, & de culpa si quæ fuit doleat. Ita autem se in ceremoniis, hostiæ elevatione, fractione gerat, ut scandalum quodvis vitetur.

Quid si totus effundatur Sangvis? Ponat aliud vinum cum aqua & consecret. Et si cecidit supra altare lambat, & de-

inde radat, ac mittat in piſcinam, vel ſufficienter lavetur & lotio mittatur in piſcinam. *Si* ſuper mappam, abſcindatur & comburatur, & cineres mittantur in piſcinam, vel ſufficienter lavetur. Idem de corporalibus.

Quid ſi hoſtia vel ſangvis cecidit in terràm? Radatur, in piſcinam mittatur.

Quid ſi quis evomuerit ſumptam Euchariſtiam? Vomitus colligendus & comburendus, & cineres in piſcinam mittendi. Si verò accidentia hoſtiæ, vel vini non viderentur mutata, ſed remanerent, poſſet ſumi niſi nauſea eſſet impedimento. Tunc enim vel eſſent ſervandæ cum reliquiis, vel vinum conſecratum ſtuppâ exhauriendum, ſiccandum & comburendum. Ut ſupra dictum.

Regula tandem *generalis* eſt in his obſervanda. Quotieſcunque ſcitur ubi ſunt ſpecies Sacramenti, non debent comburi, ſed ſervari, vel ſumi.

Reliqua vide *in Miſſali novo.* *Et apud D. Thom. Sylv. & alios.*

De

§. 4. *De Sacramento Pœnitentiæ.*

Quamvis de hoc Sacramento in Parte altera acturi ſimus, ea tamen hìc ponemus quæ hujus propria videntur.

Sacramentum Pœnitentiæ eſt Confesſio & Abſolutio de peccatis poſt Baptismum commisſis.

Partes quibus conſtat hoc Sacramentum eſſentiales ſunt duæ. Materia & Forma.

Forma eſt abſolutio Sacramentalis. *Materia* Confesſio doloroſa cum propoſito, ac ſatisfactio.

Caſus circa Materiam.

Materia Sacramenti Pœnitentiæ *eſt duplex.* Una eſt ex qua tanquam parte ſimul cum forma conſtat. Et hæc, ſunt Pœnitentiæ actus. Contritio, Confesſio, Satisfactio. Hi autem non quomodocunq; facti ſed in ordine ad claves Eccleſiæ, qui ideò partes Pœnitentiæ vocari ſolent, quia ſunt partes materiæ. Sine reſpectu verò ad claves, eſſent virtutis Pœnitentiæ actus, non autem Sacramenti partes.

Et hæc quidem *materia* est *proxima*. Altera *materia* est *circa quam* versatur Sacramentum eam expellendo. Et hæc sunt peccata, *materia* scilicet *remota*.

De Contritione.

Duplex est dolor de peccatis. *Divinus*, qui etiam est duplex, nempe Attritio & Contritio. *Naturalis* qui ex recta ratione, honestum naturale respiciente oritur, nec supra naturam elevatus sive sit in voluntate, sive in parte sensitiva. *Contritio* est dolor de peccatis propter DEUM summè dilectum ex charitate. Est autem duplex. *Generalis* de omnibus peccatis simul. *Particularis* de singulis. Potest etiam uterque horum esse *vel actu*, vel habitu expressus, vel in virtute.

Attritio est dolor de peccatis propter turpitudinem ipsius peccati; vel propter timorem inferni, vel propter spem gloriæ &c. & unus quisque horum si peccandi voluntatem excludat cum spe veniæ, sufficit cum Sacramento ad gratiam obtinendam, & ad hoc ut fiat ex

attri-

attrito contritus, ut ait *Conc. Trid. Seſſ.* 14. *can.* 4.

Poſſunt etiam eſſe alii dolores de peccato ob damnum temporale indè illatum, ut infamiam, amisſionem bonorum. Sed nullus horum eſt Contritio vel Attritio, nec cum Sacramento facit ex attrito contritum, niſi in Deum referatur, ut ab illo pœna immittitur.

Quævis Contritio quantumvis minima, ſi ſit vera, *ſatis eſt* ad culpæ remisſionem, & pœnæ æternæ. Sed quoad pœnam temporalem, debet eſſe proportionata pro magnitudine peccatorum ad delendam totam pœnam, aliàs delebit tantùm partem.

Ut quis gratiam conſequatur ſatis ut doleat tantùm in genere de omnibus ſuis peccatis ſub ratione univerſali, quia ſic dolet de ſingulis in virtute. Expreſſè autem dolere de ſingulis oportebit, dum venient in memoriam.

Non *ſatis eſt Contritio* ad delenda peccata ſine Sacramento, ſed requiri-

 tur

tur in voto Confesſio. *Tria* in ſe *vera Contritio includit.* Dolorem de peccatis præteritis. Propoſitum in futurum non peccandi, & Sacramenti Suſceptionem ſaltem in voto, aliàs non eſſet vera & ſufficiens Contritio, ſi aliquid horum deeſſet.

Attritio non poteſt fieri contritio cùm ſint dolores ſpecie differentes, & diverſi objecti. Attritus tamen poteſt fieri contritus, de uno dolore in alium transeundo.

De Confeſſione.

Confeſſio Sacramentalis eſt Manifeſtatio peccatorum facta Confeſſori ut ab eo abſolvatur à peccatis.

Confeſſio bona debet habere aliquas *proprietates.* De *Neceſſitate* quidem *tres.* Ut ſit integra, cum debito dolore, ut parere parata. Sed *decentiæ* & perfectionis causâ 16. continet, his verſibus comprehenſas.

Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis,
Atq; frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parêre parata.

Invalida autem est Confessio in casibus quatuor ex *parte Poenitentis.* 1. Si non fecit debitam diligentiam. 2. Si cum proposito peccandi confessus. 3. Si excommunicatus erat, & ita permansit. 4. Si non sit integrè confessus. Quatuor *ex defectu Confessarii.* 1. Si non habuit intentionem absolvendi. 2. Si non habuit Jurisdictionis usum, ut si sit excommunicatus, suspensus, interdictus, notorius. 3. Si non sit usus formâ debitâ. 4. Si ignorantia Confessoris tanta esset, ut nesciret discernere inter lepram & lepram.

Tenentur omnes *confiteri*, de jure quidem divino in articulo & periculo mortis, cùm non putant se postea habitu-

ros copiam confitendi. Ex præcepto verò Ecclesiastico semel in anno circa tempus Paschatis, cùm ventum est ad annos discretionis.

Omnia peccata mortalia quorum recordamur sunt confitenda de quibus non sumus confessi, factâ sufficienti præparatione.

Circumstantiæ etiam *quæ mutant speciem* imò etiam quæ multùm aggravant, in quibusdam præsertim rebus, ut in furto materiæ ablatæ, quantitas ob restitutionem, & perseverantia diuturna in actu peccati, & alia de quibus Parte 2.

Venialia non tenentur omnes confiteri, nisi cùm esset confitendi præceptum, & non habeant alia: ut si esset Religiosus, qui ex proprio statuto teneretur confiteri. Et quamvis alii aliàs non teneantur, tamen ex electione non velle confiteri, non esset bonum.

Dividere Confessionem, vel aliquod peccatum mortale tacere, non licet. Sed omnia dicenda quorum recorda-

mur,

mur, & si aliquod grave immineat damnum. Si aliquod dicatur peccatum mortale, tunc potiùs relinquenda est confessio quàm dimidianda tacendo aliquod, cùm Integritas sit juris divini; tunc verò confiteri sit liberum aliàs omitti posset illud peccatum.

De Sigillo Confessionis.

Sigillum hoc est jus seu obligatio quâ quis tenetur peccata in confessione audita sub secreto servare vel retinere. Dicitur autem sigillum sumptâ metaphorâ ex Sigillo materiali, quo signamus literas, vel alia, quæ volumus esse secreta & inviolabilia.

Cadunt sub Sigillo peccata, & omnia per quæ peccata innotescere possunt. Reliqua verò in Confessione audita sunt quidem sub secreto servanda pro voluntate & arbitrio confitentis, sed qui ea diceret non esset violator sigilli.

In nullo omninò *casu* potest *revelari* confessio, etiamsi summus Pontifex præciperet, etiamsi tota Ecclesia periret,

ret. Ratio est, Quia homines à Confessione averterentur, & quia Confessor illa scit ut DEus. Potest tamen de licentia Pœnitentis, quia hic potest cedere juri suo, & quia sic videtur dare novam scientiam; sed etiam tunc cavendum est maximè scandalum, & cautissimè agendum.

Si Sacerdos interrogaretur, an sit quispiam illi confessus: Potest respondere, *est*, vel *non*. Si interrogaretur, an absolverit. Non debet dicere, *Absolvi*, vel *non*. Sed, *Functus sum meo officio.*

De Satisfactione.

Satisfactio est solutio pœnæ debitæ DEo pro peccatis. Et quia Sacramenti est pars, debet esse imposita à Confessore in ipso Sacramento Pœnitentiæ.

Tria in genere sunt opera seu *partes Satisfactionis*, Jejunium, Eleemosyna, Oratio. Ad quæ cætera opera Satisfactoria & opera pœnalia reducuntur.

Triplex in Ecclesia *Poenitentia* imponitur.

tur. *Secreta, publica, & solennis* quæ fiebat olim cum quibusdam cæremoniis jam non est in usu.

Imponenda autem Pœnitentia, seu Satisfactio *juxta qualitatem peccatorum.* Idque arbitrio Confessarii habebit tria. 1. Ut faciat odium & dolorem peccati præteriti peccatori. 2. Ut sit remedium in futurum. 3. Ut sit talis quam putatur Pœnitens facturus. Et si sit facta tertiò injustitia, satisfaciat. *Canones* autem *poenitentiales* jam non obligant, nec sunt ampliùs in usu, sed arbitrio Confessarii, ut diximus imponenda est poenitentia.

De Absolutione.

Hactenus diximus de tribus partibus materiæ Sacramenti Pœnitentiæ, nunc de Forma, scilicet, Absolutione dicendum.

Absolutio est duplex. Sacramentalis à peccatis. *Non Sacramentalis* à Censuris, scilicet, Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque poenis in

foro

foro publico. *Sacramentalis* est forma verborum à Christo instituta ad remissionem peccatorum. Nempe hæc. *Ego te absolvo.* Reliqua verba quæ dici solent in hac absolutione non sunt necessitatis. Sed illa solùm. *Absolvo te.* Reliqua sunt perfectionis & decentiæ, & ideò non omittenda.

Effectus absolutionis est *remissio peccatorum* actualium post Baptismum commissorum, & infusio gratiæ.

Absolvere à peccatis *solus* potest *Sacerdos*, qui habet jurisdictionem absolutam, vel delegatam in alium.

Non potest absolvi infidelis nec cathechumenus, nec alienus à Jurisdictione: Sed debet esse fidelis, baptizatus, subditus, confessus, & contritus vel attritus.

Differenda est absolutio in quibusdam casibus. 1. Si non fecit restitutionem cùm potest commodè. 2. Si non est reconciliatus inimico cùm potest. 3. Si timeatur ne redeat ad peccata si statim absolvatur. 4. Si in timore Dei con-

serva-

servabitur, & præservabitur à peccatis differendo absolutionem.

§. 5. *De Sacramento Extremæ Unctionis.*

Dubium posset esse *an teneret Sacramentum si oleum non esset benedictum?* sed probabilius est non tenere. Quia materia est oleum benedictum.

Si *oleum* esset *benedictum* à simplici Sacerdote *non ab Episcopo*, teneret quidem Sacramentum ut est aliquorum sententia, peccaret tamen Sacerdos si daret Sacramentum.

Triplex est oleum benedictum. *Cathechumenorum*, quo baptizandi unguntur in vertice, scapulis, & pectore. *Infirmorum.* Hujus Sacramenti est materia. *Chrisma.* Oleum *cum balsamo* consecratum, est materia Sacramenti Confirmationis.

Ungendæ sunt istæ partes, *Oculi*, *nares*, *aures*, *os*, *manus*, *pedes*, *renes*, si vir. In fœmina propter decentiam solet omitti,

ti, & in viro aliquando datur in umbilico.

Si omittantur renes aut umbilicus sine dubio tenebit Sacramentum, itaque pleræque Ecclesiæ ungunt. Si aliqua ex aliis, probabilius est non tenere si sit ex præcipuis: Sed si sit ex minùs præcipuis ut pedes, fortasse teneret.

Circa Formam.

Forma in hoc Sacramento est *per modum deprecationis* & orationis. Quia istud Sacramentum constitutum in oratione & per modum suffragii. Peculiaris est *effectus* sanitas corporalis quam non semper efficit, sed tantùm cùm expedit. Illud sic promulgavit S. Jacobus cap. 2. *Si quis infirmatur inducat* Presbyteros,

Circa Suscipientem.

Danda est extrema unctio infirmo *morituro*, in articulo mortis, aut propè articulum constituto, vel quia putatur moriturus; non autem aliis infirmis.

Non

Non est autem expectandum donec infirmus amittat sensus.

In eadem porrò infirmitate iterari non potest, nisi convalescat infirmus & iterum reincidat, ita ut dici possit, secundus morbus.

§. 6. *De Sacramento Ordinis.*

Circa Materiam.

Contactus Physicus *Materiæ*, puto, Calicis, vel libri, *est necessarius* de necessitate præcepti, non autem de necessitate Sacramenti. Ad essentiam enim ejus sufficit traditio materiæ cum morali contactu.

Impositio manûs, vel *unctio Chrismate*, non sunt de essentia, sed sola prolatio formæ, cum traditione materiæ est de præcepto ut tangatur, quia ad solennitatem attinet, & nullo modo omittenda, & si omittatur, postea cautè supplenda.

Circa Formam.

Sacerdotii aliqui volunt esse *duas formas*

mas ad duos Sacerdotii actus. Ad actum quidem *sacrificandi illa. Accipite potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis.* Ad actum verò *Absolutionis* illa. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis retenta erunt.* Dicunt itaque ante hanc prolatam non posse absolvere à peccatis. Sed meliùs dicitur illam unam esse formam, & unum tantùm characterem, & actum ejus duplicem.

Circa Ministrum.

Ordinis *Minister* est *Episcopus.* Sed in Minoribus Ordinibus est etiam concessa potestas à Pontifice Cardinalibus, Presbyteris, & quibusdam Abbatibus S. Benedicti erga suos Monachos illis subditos, ita tamen ut ipsi sint Sacerdotes.

Simplex Sacerdos de licentia & commissione *posset Minores* Ordines dare, sed non majores, saltem non Sacerdotium, & sine consensu Pontificis nec etiam Minores.

Non Sacerdoti non potest committi

talis

talis poteſtas, nam quæ ſunt Ordinis non poſſunt delegari ei qui non habet ordinem.

Epiſcopus non poteſt ordinare *non Subditum* ſine Pontificis licentia, & ſi ordinaret, eſſet ſuſpenſus, ſed tamen ordo teneret. Poteſt tamen ordinare domeſticum ſi per triennium apud illum manſerit. *Conc. Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 9. *de Reform.*

Epiſcopus Hæreticus, Apoſtata, excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis, interdictus, degradatus, non poteſt ordinare: teneret tamen ordo, ſed tam ordinans quàm ordinatus peccaret mortaliter, & fierent Irregulares.

Circa Suſcipientem.

Certum eſt quòd nec Infidelis, nec Cathechumenus non baptizatus poſſint ordinari, & ſi ordinarentur non teneret Ordo.

De *Puero* autem ante legitimam ætatem dicendum, quòd Sacramentum teneret etiam ante uſum rationis. In

non *confirmato* teneret, ſed peccat Ordinans & Ordinatus.

Si *Servus* ordinetur, tenet, ſed peccat Ordinans & Ordinatus, & non permittitur miniſtrare quamdiu eſt ſervus. Sed ſi de conſenſu Domini fuit ordinatus, remanet liber.

Conjugatus ſi ordinetur tenet, ſed peccat Ordinans & Ordinatus. Et ſi ſit Ordo ſacer, non poteſt petere debitum. Si de conſenſu uxoris fuit ordinatus, nec poterit reddere, nec ipſa uxor petere. Quare conjugatus non debet ordinari, niſi uxor priùs voveat caſtitatem vel ingrediatur Religionem. In Minoribus ubi deeſſent Clerici cœlibes poſſunt conjuges ordinari propter necesſitatem, & in eis miniſtrare. *Foemina* ordinari non poteſt, prohibetur enim in Eccleſia loqui 1. *Cor.* 11.

Si quis *per ſaltum* ordinetur, tenebit Ordo, ſed erit Irregularis.

Hæretici, Apoſtatæ, ſuſpenſi, irregulares, excommunicati ſi ordinentur tenet, ſed manet irregularis ordinatus, & qui eum ſcienter ordinavit. §. 7.

§. 7. *De Sacramento Matrimonii.*

De impedimentis Matrimonii, quæ impediunt contrahendum, & dirimunt contractum.

Impedimenta ejusmodi sunt 12. & his versibus comprehenduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.

Error in persona seu substantia, ut si cum primogenita contrahit, & supponitur altera. *Non in qualitate* ut si dives, sana, & supponitur pauper & infirma.

Conditio servilis impedit uno tantùm casu. Cùm scilicet libera persona accipit servam, putans esse liberam. Aliter semper tenet. Si *Servus cum serva* contrahat Dominis consentientibus, debent illis dare facultatem ad reddendum debitum etiam cum servitii sui detrimento. Si verò Dominis invitis,

vel

vel nescientibus, non tenentur cum sui servitii detrimento.

Votum si solenne in Religione approbata, expressum vel tacitum.

Cognati. , *Naturalis*, usque quartum gradum. *Spiritualis* contracta ex Sacramento Baptismi vel Confirmationis, post Concil. Trid. solùm est impedimentum inter baptizatum, & baptizantem, ejusque Patrem ac Matrem item inter susceptorem & susceptum, & ejus Patrem & Matrem & idem in Sacramento Confirmationis.

Legalis ex adoptione perfecta inter adoptantem & adoptatum, ac hujus filium, & filium filii, & sic ad quartum gradum. 2. Pater Filii naturalis ac legitimus adoptantis & adoptivi, idque solùm quàmdiu manet in potestate Patris adoptantis, nam Patre mortuo, poterunt contrahere. 3. Inter uxorem adoptantis & adoptatum. Et tandem inter uxorem adoptati & adoptantem.

Crimen 1. *ex homicidio*. Si alter conjugum

jugum procuret alterum occidi per tertiam personam, cum intentione contrahendi per actum externum indicata inter conjugem remanentem & illam personam consortem homicidii, non potest esse Matrimonium. 2. Si ipsa occidit alterius viri uxorem ut illa habeat maritum: vel vir alterius maritum, ut illius habeat uxorem.

2. *Ex parte adulterii* cum promissione quòd post mortem alterius conjugis accipiet illum, vel illam in conjugem. 2. Cum contractu secundi Matrimonii de præsenti, sive præcedat, sive sequatur adulterium dummodo sciat esse conjugem, nam si putabat jam esse mortuum maritum aut uxorem, posset contrahere post mortem conjugis.

3. *Ex homicidio misto cum adulterio* si adulter per se, vel per alterum occidit alterius conjugem, non teneret enim conjugium inter remanentem conjugem & adulterum. Hoc tamen communiter intelligitur dictum esse, quando

quando eo animo occidit, ut habeat adulterum.

Disparitas cultûs. Hoc est, baptizati cum non baptizato, non teneret. At verò Hæreticorum inter se, & hæretici cum Catholico teneret Matrimonium.

Vis, id est violentia absoluta in cogendo simpliciter per metum cadentem in constantem virum. Metum, inquam, stupri, vel honestatis, statûs, carceris, verberum, bonorum temporalium amissionis, necis.

Ordo Sacer, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus.

Ligamen. Hoc est, cùm quis contraxerit per verba de præsenti cum una, etiamsi non consummaverit, & postea cum altera nihil valet secundum Matrimonium.

Honestas scilicet publicæ honestatis justitia. 1. Ut illi, inter quos fuerunt sponsalia non possunt contrahere cum consanguineis conjugis. Ad gradum usque quartum, etsi invalida sponsalia. Post Concil. verò *Trid. Seff.* 24. *c.* 3. Si spon-

ſponſalia fuerunt invalida nullum eſt impedimentum. Si valida, primum gradum non exceedit.

Affinitas, quæ quidem contrahitur ex conſummata copula viri & mulieris: ſive ſit mariti & uxoris, ſive cujuscunque alterius perſonæ. Olim usque ad 4. gradum: poſt *Concil.* verò *Trident. Seſſ.* 24. *c.* 4. Si ſit ex fornicatione contracta usque ad ſecundum gradum incluſivè.

Impotentia ſcilicet coëundi, ſive hæc proveniat ex natura, ſive ex maleficio quod impedimentum cùm acciderit, ſubeſt examini alicujus Prælati Eccleſiæ.

De quibusdam aliis impedimentis quæ dirimunt etiam contractum Matrimonium.

Inter Raptam & Raptorem quamdiu in poteſtate Raptoris manſerit, non tenet. Et tenebitur Raptor, ſive duxerit, ſive non

non, eam dotare. Hoc impedimentum addidit *Trid. ibid. c. 6.*

Si *clandestinè* contrahant, hoc est nisi præsente Parocho, aut alio Sacerdote, de Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus saltem testibus. Addidit *Trid. ibid. c. 2.* Sponsalia verò per verba de futuro, tenent.

Si *non* sint *legitimâ ætate*, hoc est in viro anni 14. in fœmina 12. non tenet antè, nisi malitia suppleverit ætatem. Ad sponsalia verò in utroque ætas septem annorum requiritur.

Ex *modo* item *contrahendi* fit irritum Matrimonium his quatuor modis. 1. Si contrahat contra substantiam Sacramenti, cùm videlicet quis fictè contrahit. 2. Contra triplex bonum Matrimonii. *Prolis*, cùm deducitur in pactum sterilitas. *Fidei* cùm deducitur in pactum, ne reddant debitum. *Sacramenti*, cùm deducitur in pactum separatio totalis, vel ut post aliquod tempus solvatur Matrimonium.

De

De impedimentis, quæ impediunt contra hendum sed non dirimunt contractum.

1. *Interdictum* seu prohibitio Ecclesiæ, non enim licet celebrare nuptias in Adventu usque ad Epiphaniam, & à feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis. In aliis omnibus temporibus licet solenniter celebrare, ut statuit *Concil. ibid. cap.* 10. 2. *Votum* simplex castitatis. 3. Sponsalia. 4. Catechismus, scilicet tenuisse aliquem in catechismo de quo vide *Sanch. Fagund.* 5. *Crimen*, hæc autem crimina sunt septem. 1. Uxoricidium. 2. Presbytericidium. 3. Raptus alicujus sponsæ. 4. Conjugium scienter cum Moniali. 5 Proprii Filii de Baptismi fonte susceptio insidiosa Matrimonio. 6. Incestus cum Consangvineis conjugis. 7. Solennis pœnitentia.

De Dissolutione vinculi Matrimonialis.

Matrimonium *dissolvi* posse, intelligi potest *duobus modis*. Vel quoad vinculum, vel quoad thorum, & cohabitationem. Hoc secundum, dicitur *divortium*, primum autem *repudium*, vel dissolutio Matrimonii.

Potestne uxor dimitti aut repudiari? Resp. Matrimonium solùm ratum & non consummatum Fidelium, dissolvitur per solum ingressum Religionis. 2. Matrimonium consummatum Infidelium, per conversionem alterius conjugis solvitur si alter nolit habitare sine contumelia Creatoris, ut si inducit ad mortale. Ratum verò & consummatum fidelium, vivente altero conjuge nullo modo potest dissolvi quoad vinculum.

De divortio & causis separationis quoad thorum vel habitationem perpetuò, vel ad tempus.

Dimittendi conjugem, sive quod idem est, divortii faciendi *causæ* possunt esse sequentes. 1. Fornicatio carnalis alterius conjugis. 2. Fornicatio Spiritualis vel hæresis, quàmdiu in hæresi permanserit. 3. Inimicitiæ capitales. Aut, si alter alterius vitæ insidietur. 4. Tractatio mala, aut dum alterum conjugem induceret ad peccatum mortale. In Evangelio Christus excepit ad dimittendam uxorem solam causam fornicationis. Quia hæc sola dat jus perpetuæ separationis & divortii, etiam post pœnitentiam uxoris. Reliquæ omnes tantùm ad tempus quàmdiu scilicet durat illa Indecentia.

De redditione debiti & petitione.

Præter dictas causas *redditionem* debiti *impediunt*, *periculum vitæ*, *ægritudinis*, *abortûs*. *Petitionem* verò ne quis licitè pos-

ſit ab altero petere *ſex impediunt*. 1. Votum caſtitatis. 2. Affinitas ſuperveniens ex adulterio cum conſangvineo conjugis. 3. Cognatio ſpiritualis ſuperveniens. 4. Periculum propriæ vitæ vel ægritudinis ſui vel alterius, vel prolis. 5. Votum Religionis, ſed hoc ſolùm quoad primum actum. 6. Menſtrua, nam tunc proles concepta, naſcitur infecta.

Ex decentia autem ſolùm *impediunt* hæc *duo*. Sumptio Euchariſtæ intra ſpatium 24. horarum. Mutua utriusque conſenſio juxta conſilium S. Pauli.

De Uſu Matrimonii legitimo.

Peccata in Matrimonio ejusq; *uſu* contingunt, ſi contra aliquod dictorum impedimentorum contrahatur. Aut cum eo quis utatur. Tum etiam.

Ex fine. Siquidem cauſâ generationis, vel vitandæ fornicationis, aut remedii concupiſcentiæ, licitum eſt. Si verò ſolius delectationis causâ, eſt peccatum veniale.

Ex *modo*, ſi innaturalis ſit, aut impudicus.

Ex

Ex loco, Si in ſacro, vel publico.

Ex tempore, Si vetito, ex aliis denique circumſtantiis.

De Sponſalibus per verba de futuro.

Sponſalia facta *dirimuntur* ſequentibus modis. 1. Conſenſu utriusque in diſſolutionem, Religionis ingreſſu, Ordinis ſacri ſuſceptione.

1. Si Matrimonium cum alia per verba de præſenti contrahat, ſolvuntur priora ſponſalia. Abſentia ultrà tempus à Jure vel Judice præfixum. Jus quidem Canonicum non præſcribit certum tempus abſentiæ. Sed jus civile præſcribit in eadem Provincia annos duos, in diverſis tres. 2. Affinitate ſuperveniente. 3. Ætate, ſi ante ſeptem annos. 4. Tempore ſtatuto ad Matrimonium, quod ſi ſit non ſervatum alterius culpâ, alter eſt liber. 5. Morbi contagioſi ſuperventu, vel gravis perpetuò, vel mutilatione, aut deformitate gravi ſuperveniente. 6. Forníca-

nicatione carnali, vel ſpirituali, ſi fiat alter eorum Hæreticus vel Apoſtata. 7. Voto caſtitatis vel Religionis. 8. Conditione non impletâ. 9. Cognatione Spirituali ſuperveniente. 10. Si alter crudelis eſſe detegatur & aſper. 11. Famâ Canonicâ alicujus impedimenti. 12. Inimicitiis capitalibus.

Regulæ generales ad diſſolutionem Sponſalium.

1. Quoties aliqua cauſa rationabilis ſuccedit quæ ſi præceſſiſſet non fuiſſent facta ſponſalia, tunc poſſunt diſſolvi.

2. Communiter non diſſolvuntur ipſo jure ex his cauſis, ſed per ſententiam Judicis Eccleſiaſtici. Ipſo vero jure in quibusdam caſibus ſine ulla ſententia diſſolvuntur. Ut Religionis Ingreſſu, Matrimonio cum altero, Ordine ſacro, Fornicatione notoriâ.

3. Quoties cauſa diſſolutionis eſt notoria & perſpicua, tum quoad veritatem tum quoad ſufficientiam non requiritur ſententia Judicis.

APPEN-

APPENDIX.

Tria hìc apponemus, *Unum* de Irregularitate, quia mentionem illius fecimus. *Alterum* de præceptis quæ sunt Clerico imposita. *Tertium* Rubricas Missalis in ordinem tabularum reductas.

De Irregularitate.

Irregularitas est inhabilitas suscipiendi Ordines, & in susceptis ministrandi nisi dispensetur. Et est *duplex*, una dicitur *ex defectu*, altera dicitur *ex delicto*. Irregularitas ex defectu incurritur propter novem defectus, ut diligenter notavit *Tolet. lib.* 1. & sunt.

1. *Defectus natalium.* Hinc illegitimi sunt irregulares. 2. *Defectus originis.* Hinc servi sunt irregulares. 3. *Defectus liberationis à curia, vel à ratiociniis.* Hinc sunt irregulares tum obligati perpetuò ad curiam sæcularem, tum etiam ad eam obligati ad tempus. (Hi tamen finito tempore possunt ordinari, nisi sint aliunde irregulares, puta, quia infames, ut satellites, vel homici-

dæ aut mutilatores, ut sunt sæpe Judices & milites) tum denique Tutores, Curatores, negotiorum Gestores, & alii habentes administrationes publicas & privatas, ob quas rationem reddere tenentur. Et quidem si habeant administrationem tantùm privatam, depositâ administratione etiam ante redditam rationem, possunt ordinari. Si verò habeant administrationem publicam, non nisi post depositam administrationem & redditam rationem ordinantur. 4. *Defectus ætatis.* Hinc infantes qui videlicet septennium, non expleverunt, ad nullum ordinem, imò nec ad primam tonsuram admittuntur. Ad Acolytatum verò requiruntur 12. anni completi. Ad Subdiaconatum requiritur annus 22. inchoatus, ad Diaconatum 23. inchoatus. 5. Defectus *bonæ famæ.* Hinc infames de jure vel de facto sunt irregulares. 6. *Defectus corporis.* Hinc inhabiles ad bene ministrandum, vel notabiliter deformes sunt irregulares. 7. *Defectus animæ.* Hinc illiterati & neo-

neophyti & insanientes etiam solùm ad tempus sunt irregulares. 8. *Defectus Sacramenti.* Hinc bigami sunt irregulares. 9. *Defectus perfectæ lenitatis.* Hinc Judices sententiam mortis, vel mutilationis ferentes, & omnes qui his cooperantur, secuto effectu, sunt irregulares.

Habentes aliquem ex his novem defectibus, etiam sine ulla sua culpa, sunt irregulares; quare nisi sint dispensati, peccant mortaliter cùm Ordinem aliquem suscipiunt, vel Ordinis actum faciunt quem laici facere non possunt.

Irregularitas ex delicto incurritur propter quinq; delicta quæ sunt. 1. Delictum Homicidii, vel Mutilationis. 2. Delictum circa Baptismum, cùm videlicet quis rebaptizat, vel adultus rebaptizatur aut suscipit baptismum ab hæretico vel in infirmitate constitutus. 3. Delictum, in susceptione Ordinum, quando videlicet quis suscipit Ordines censuris ligatus, vel ab Episcopo cui prohibetur Ordines conferre. Vel certè eodem die

ſuſcipit duos Ordines Sacros, aut Minores cum Subdiaconatu. 4. Delictum in uſu Ordinum quando nimirum quis facit actum Ordinis Majoris, quem non habet: vel habet quidem, ſed eſt ligatus cenſurâ; vel deníque facit Sacra prohibita in loco interdicto. 5. Delictum quodvis enorme quando eſt notorium. Addunt aliqui omnia alia delicta enormia quantumvis occulta, vel ſaltem hæreſim occultam, & delictum, in ſcientia quadam diſcenda vel docenda, ſed de prædictis tantùm quinque delictis videtur eſſe textus expreſſus, ubi autem non eſt textus expreſſus, non eſt aſſerenda Irregularitas. c. *Si quis de ſententia excommunicationis in* 6. Quare hæc ſatis de Irregularitate.

De Præceptis ſervandis à Clericis.

Præter præcepta DEI & Eccleſiæ quæ omnes fideles obligant, Clerici ſicut habent multa privilegia, ita etiam multa alia ſervare tenentur, omnia videlicet quæ ipſis à ſuis Epiſcopis, vel à Sacris Canonibus jubentur & ad 5. claſ-

ſes

les possunt revocari. Quædam enim præcipiuntur sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ. Quædam sub pœna Suspensionis latæ sententiæ. Quædam sub pœna Irregularitatis. Quædam sine hujusmodi pœnis, & hæc modò tantùm ponemus; Quæ enim præcipiuntur Clericis sub dictis 4. pœnis; habentur partim ex dictis, & partim ex Catalogis Excommunicationum & Suspensionum.

Quæ verò sine hujusmodi pœnis præcipiuntur ad decem Capita reducuntur quæ possunt dici Clericorum Decalogus, quamvis non omnia obligent sub mortali.

I. Caput est, ut studiosè & devotè (a) recitent horas Canonicas si sint beneficiati vel in sacris: aliàs, si eas sine justa causa omittant peccant mortaliter, & tenentur restituere (b) fructus Beneficii pro rata.

II. Ut

(a) C. dolentes de celebr. Missar. (b) Pius V. in Bulla quæ incipit, Ex proximo.

II. Ut deferant (c) habitum & tonsuram Clericalem si sint Beneficiati, vel in Sacris; aliàs, peccant mortaliter. Alii verò Clerici amittunt (d) Privilegium Fori.

III. Ut servent ex voto Castitatem (e) si sint in Sacris.

IV. Ut mercaturam (f) non exerceant, nec artem (g) sordidam, nec officia ulla (h) sæcularia, nec conducant (i) possessiones, nec sæcularibus procurationibus se (k) immisceant, & non solùm non dictent vel proferant sententiam sangvinis, sed neque ubi sanguinis vindicta exercetur (l) intersint.

V. Ut privilegiis suis non renuntient, non enim possunt iis renunciare: cùm sint in favorem statûs clericalis, & non singularis alicujus personæ. Quare in mani-

(c) Sixtus. V. in Bulla. Cùm Sacro sanctam. (d) Conc. Trid. Sess. 23. cap. 6. (e) C. unica. De voto in 6. (f) C. Secundùm instituta, ne Clerici vel Moniales. (g) Clem. secunda de vi. & hon. Cler. (h) Clerici officia. Eodem tit. (i) C. Pervenit. d. 86. (k) ibidem. (l) C. pen. ne Cleric. vel Mon.

manibus Laici jurare non (*m*) poſſunt, nec ſe ſubjicere Judici Laico, niſi cùm privilegium fori amiſerunt, (*n*) vel ab Epiſc. (*o*) licentiam habuerint. Habere poſſunt non in criminalibus, ſed in civilibus, in quibus etiam ſolis jus ipſum (*p*) concedit reconventionem.

VI. Ne Aleæ (*q*) deſerviant, imò nec ludant ad aleas (*r*) nec hujuſmodi ludis interſint: Similiter Mimis, joculatoribus, & hiſtrionibus (*s*) non interſint: & tabernas omninò (*t*) evitent, niſi neceſſitatis causâ cùm ſunt in itinere conſtituti & abſtineant (*u*) etiam à choreis.

VII. Ne (*x*) arma ferant: Annulum (*y*) niſi ratione dignitatis. Nec comam (*z*) laxent, nec barbam (*a*) nutriant, ſaltem in labio ſuperiore, nam quoad mentum hanc legem de barba non nutrien-

(*m*) c. pen. 22. q. 5. (*n*) c. Cùm non ab homine, de Ind. (*o*) c. 2. De foro compet. (*p*) c. 13. q. 8. (*q*) c. 1. diſt. 35. Clerici. (*r*) c. Clerici officia. De vi. & hon. Cler. (*s*) ibidem. (*t*) ibidem. (*u*) Concil. Trid Seſſ. 24. c 12. (*x*) c. 2. De vi. & hon. Cler. (*y*) cap. Clerici officia. cod. tit. (*z*) cap. 4. cod. (*a*) c. Clericus neque cod.

triendà contrariâ consvetudine abrogatam esse dicit *Nav*, C.25. *Nu*. 100.

VII. Abstineant à clamosis (*b*) venationibus & aucupiis, non cohabitent cum (*c*) Mulieribus exceptâ Matre, amitâ, & sorore, immò neque cum his, si sint suspectæ. Præterea cum muliere suspectâ nec (*d*) fabulari, nec aliquo modo versari debent.

IX. Debent Clerici (*e*) benedicere mensam in principio, & in fine gratias agere, quòd si sint Sacerdotes, cùm Eucharistiam sumunt, & in ægritudine (*f*) Stolam circa collum habere debent signum Crucis in pectore præferentem. Id tamen non videtur usu ubique receptum quoad signum Crucis. Debent etiam servare Rubricam in Sacro, in horis Canonicis & cæteris functionibus sacris.

X. Non.

(*b*) c. 1. & 2. de Cler: Venat. (*c*) cap. 1. de cohab. Cleri & mulier &c: Cleri. dist: 81. (*d*) cap. 2. Eodem tit. (*e*) cap. Non liceat: dist. 44. (*f*) cap. Ecclesiastica, dist: 23. & Rituale notum de sacr: Eucharistiæ.

X. Non alienent (*g*) Patrimonium, ad cujus titulum sunt ordinati sine licentia Episcopi, non pugnent (*h*) etiam in bello justo; non audiant (*i*) Leges vel Medicinam: non incumbant publicè studio Philosophiæ aut Poësis ultra quinquennium. Juxta decretum Concilii Lateran. Sub Leone X. Sess. 8. in quo tamen decreto sunt aliquæ moderationes: (k) Non sint fidejussores pro laico, sed in officiis Ecclesiasticis & aliis bonis studiis diligenter se (*l*) exerceant, quod omnibus Clericis, sed præcipuè Beneficiatis præstandum est, ne incidant in Beneficiorum nundinationem vel pluralitatem prohibitam, vel Redituum Ecclesiasticorum, malam consumptionem cupiditatemvè, sciantque non solùm supradicta sed etiam alia, quæ quisque Benefi-

(*g*) Conc. Trident: Sess: 25. cap: 3. (*h*) c. Petitio de hom: (*i*) cap: ult: ne cleric: vel Mon: (k) ea quid est 1d. 9. il: (*l*) cap. Clerici officia De vita & hon: Cler.

ficatus ratione ſui beneficii, ſcire tenetur, ſicut etiam Sacerdotes Confeſſarii non ſolùm prædicta ſcire debent, ſed etiam alia, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè adminiſtrandum ſcitu ſunt neceſſaria, ne ſi cœcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadant.

RUBRI-

De Confessionum Auditione.

QUæ Confessario præcipuè cognoscenda sunt ea videntur commodè revocari posse ad (*a*) quinque Capita. 1. Ad Potestatem requisitam. 2. Ad scientiam. 3. Ad prudentiam. 4. Ad bonitatem. 5. Ad curam servandi Sigilli Confessionis.

CAPUT I.

De Potestate.

Primò ergò, *quoad potestatem* tria sunt necessaria. *Ordo* Sacerdotalis, *Jurisdictio*, & *usus ejus* non impeditus.

§. 1.

Primum igitur *Ordo Sacerdotalis.* (*b*) Qui in re est Character, quatenus ex divina Ordinatione per illum quispiam deputatur ut possit esse Judex in foro Pœniten-

(*a*) Cajet. in *S*umm. V. Confessio in principio.
(*b*) Suar. Tom. 4. disp. 16. Sect. 3. n. 1.

nitentiæ. *Duplicem* (*c*) enim *potestatem* uti supra etiam diximus, *recipit Sacerdos* in sua Ordinatione, *unam* in ordine *ad Consecrandum Corpus Christi verum*; aliam in ordine (*d*) ad *consecrandum Corpus Christi mysticum*, id est, ad absolvendum Fideles à peccatis. Hæc autem dicitur *Potestas clavium*, quæ duæ sunt. Una est *clavis scientiæ*, per quam habet facultatem interrogandi Pœnitentem & cognoscendi ejus causam. Altera est *clavis potestatis judicandi* causâ cognitâ, absolvendi scilicet & ligandi. Per hunc Ordinem Sacerdos fit proximè capax ad recipiendam jurisdictionem. Sine qua, est de fide (*e*) absolutionem nullam esse. Unde (*f*) nulla in S. Ordine ex vi Ordinationis confertur jurisdictio, & omni hâc privari potest Sacerdos.

Habet tamen de facto quivis *Sacerdos* (*g*) etiam ante approbationem Episcopi, &

(*c*) Suar: l. c. (*d*) S. Th: addit: q. 17. a. 3. Scot: in 4. d. 19. q: unicâ a: 3. (*e*) Trid: Sess: 14. cap: 7. (*f*) Suar. disp. 16. sect: 3. n: 26. ex S. Th. & gravioribus Theologis. (*g*) Suar: d; 26, sect. 4. & est communis Theolog.

& Jurisdictionem ab ea acceptam *potestatem plenam*, id est cum Jurisdictione illi delegata ab Ecclesia (quæ etiam nunc (*h*) ex tacito consensu summorum Pontificum perdurat, idque ostendit consuetudo & traditio) *absolvendi quemcunque in tribus casibus*. 1. *In Articulo* (*a*) *mortis*, vel (*b*) morali periculo: quæ (*c*) nunquam aufertur, nec etiam ab excommunicato aut degradato. 2. *A venialibus* (*d*) quæ aufertur à denunciato vel notorio percussore Clerici. 3. *A mortalibus* (*e*) aliàs confessis quæ eodem modo aufertur à prædictis.

§. 2.

Secundum quod est necessarium, (*f*) *est Jurisdictio*, id est authoritas, quâ unus est alteri superior in foro Pœnitentiæ, quæ habetur per concessionem (*g*) extrinsecam Ecclesiæ. Hæc autem duplex est. (*h*) Prima, *Ordinaria*, & resi-

det

(*h*) Suar: loc. cit. sect. 5. n. 10. (*a*) Suar. l. cit: Sect: 4. n: 6. ex Trid: & commun. Theol. (*b*) idem ibid: n. 3. (*c*) id: ibid: n. 5. (*d*) idem ibid. n: 5. (*e*) ibid: n: 6. 7. (*f*) Trid. Sess: 24. c. 7. (*g*) Suar. disp: 16. Sect: 3. n: 1. ex Communiore. (*h*) Suar. disp. 24. Sect: 2. n. 6.

det in his qui ex vi alicujus muneris, & officii ad quod assumuntur, sunt superiores aliis. 2. *Delegata*, quæ habetur per concessionem ab Ordinariis. *Ordinaria* autem est. 1. *In Papa (i)* à Christo immediatè, independens ab humana. Universalis quoad loca omnia, personas, culpas, & modum eam utendi per se, vel per alium ad quam(*l*)reducitur potestas quam habet summus Pœnitentiarius, & Legatus de latere. 2. *in Episcopo*, (*m*) Archiepiscopo, Primate, & Patriarcha. *Quæ* dependet (*n*) à Papa, & est cum restrictione ad suam Diœcesim. Ad quam reducitur potestas, quam habent Generales & Provinciales in religionibus. 3. In (*o*) Parocho, qui dicitur proprius Sacerdos, ad quem reducitur Vicarius ejus perpetuus, Archipresbyter, & superior immediatus in religione, ut Rector, Prior, Guardianus &c.

Dele-

(*i*) Id. d. 25. Sect. 1. n. 1. (l) id. ibid. (*m*) id. ibid. n. 20. (*n*) Suar. disp. 20. sect. 1. n. 10. ex Can. & PP. (*o*) Id. ibid. n. 15.

Delegata verò potestas (*p*) tribus modis esse potest. 1. *A* (*q*) *Jure* respectu Pœnitentium, qui possunt sibi eligere Confessarium, & hæc, si sermo sit de jure divino, est in solo Papa: si de humano, est in Episcopis, & eorum Superioribus, nec non etiam in Inferioribus Prælatis exemptis, qui scilicet non subduntur Episcopis, ut sunt Provinciales Religionum, & Abbates, & similes juxta diversum usum Religionum. Confessores autem sic electi non recipiunt jurisdictionem ab eligentibus, sed ab iis qui talem facultatem eligentibus dederunt. Unde Confessor Papæ recipit Iurisdictionem à Christo, alii verò (*r*) à jure communi. 2. *A* (*s*) *consuetudine*, qualem habent omnes Sacerdotes in tribus casibus supradictis. 3. *Ab* (*t*) *Homine*, per concessionem vel privatæ personæ, vel Communitatis, qualem

(*p*) Suar. d. 26. sect. 2. n. 1. (*q*) Cap. ult. de Pœnit. & remissi: de qua latè Suar. disp. 25. sect. 2. n. 4. (*r*) Suar. d. 22. n. 2. (*s*) Id. d. 26. sect. 4. & 5. (*t*) ibid. sect. 2. & 3.

lem habent Mendicantes & Regulares, & hanc habent Societatis nostræ Sacerdotes à summis Pontificibus. Quæ omnia, uti dicta, ita dicenda, volumus accipi juxta Bullam Clem. IX. prout illa, & in quantum alicubi recepta, & sæpè loquimur quid ante illam, non quid sit post illam.

Porrò ante Jurisdictionem jure novo *Trid. Sess.* 23. *cap.* 15. requiritur approbatio Ordinarii, quæ est (a) universalis respectu etiam graduati, & Doctoris, non comprehendit (b) Regulares in ordine ad Confessiones audiendas aliorum Regularium. Hi enim possunt sine ulla approbatione Episcopi exponi ad Confessiones aliorum Regularium, solâ concessione suorum Superiorum Regularium. Debet autem (c) hæc approbatio fieri ab Episcopo ipsius Confessoris, nec est necessaria approbatio Episcopi ipsius Pœnitentis. Et quidem inter sæculares, approbatus simpli-

(a) Suar: d. 28. sect. 4. n. 3. (b) ibid: n. 4. (c) ibid: sect. 6. & 7.

ſimpliciter à ſuo Ordinario, non (*d*) eget aliâ approbatione ad hoc ut poſſit eligi ab habente Bullam, per quam illi conceditur facultas eligendi aliquem ex approbatis, etiamſi talis Sacerdos approbatus, ſit extra ſuam Diœceſim, modò tamen non mutârit domicilium. Tunc enim exigitur etiam approbatio Loci Ordinarii, in quo domicilium de novo habet. At inter (*e*) Regulares quia hi mutant Ordinarium mutatione loci, ideò ſemper requiritur nova approbatio Ordinarii illius loci, ad quem accedunt. Patres noſtræ Societatis (*f*) habent privilegium in itinere abſolvendi quoscunque. Modò non ſint in loco ubi eſt Ordinarius, tunc enim ejus licentia requireretur.

Denique approbatus (*g*) in uno loco etiamſi poſt longum tempus redeat, non

(*d*) Suar. diſp. 28. ſect: 2. n. 8. (*e*) ibid. n: 8. (*f*) V. Confeſſor. §. 2. (*g*) Henriq. lib. 3. de Pœnitent. c. 6. §. 2. lit. d: apud quem alii. Suar: loco cit. n. 9. de Religioſis.

non eget novâ approbatione, modò non ſit revocata prior facultas.

§. 3.

Tertium quod eſt neceſſarium, eſt uſus non impeditus. Poteſt autem eſſe impeditus in univerſum tripici de cauſa. 1. *Ob reſervationem* (*h*) *peccati*, quæ quando adeſſet (ſecluſâ neceſſitate implendi præceptum Confeſſionis, & cõmunicandi in Paſchate, vel aliâ ſimili, quæ prætermitti non poteſt ſine ſcandalo, vel infamia Pœnitentis) non debet abſolvi. (*i*) Si tamen abſolveretur, & Pœnitens eſſet in bona fide, (*l*) teneret, modò confeſſus fuerit alia non reſervata. Maneret autem obligatio ad ſe præſentandam quàm primùm Superiori, ut abſolvatur directè, nam indirectè tantùm erat abſolutus.

Porrò (*m*) Confeſſarii Societatis noſtræ communiter poſſunt abſolvere ab omnibus etiam Papæ reſervatis, præterquam in Bulla Cœnæ, & poſt ultimam

(*h*) Suar. d. 30. ſect. 3. n. 8. (*i*) Ibid. ſect. 2 (*l*) Ibi. n. 6. (*m*) in comp. Privil. V. abſolutio §. 1.

mam confirmationem noſtrorum privilegiorum à Paulo V. etiam ab aliis reſervatis in declaratione decreti Clem. VIII. & ſaltem eam facultatem exercere poſſunt Superiores. Quoad caſus tamen Epiſcopo reſervatos, petenda eſt facultas ab ipſo.

2. Poteſt eſſe impedimentum *ob Excommunicationem* vel Suſpenſionem Sacerdotis denunciatam. Per eam (a) enim tollitur usus validus Juriſdictionis. Quod ſi non ſit denunciatus Sacerdos, quia adhuc toleratur (b) valet abſolutio, nec etiam (c) peccat abſolvendo, quando requiritur ab aliis, in favorem ipſorum.

Ob peccatum mortale, quamvis enim abſolutio à Sacerdote exiſtente in peccato mortali valeret, tamen peccaret mortaliter, ſi non haberet contritionem, ſaltem exiſtimatam.

(a) Suar, tom. 5. diſp. 2. ſect. 2. n. 2. (b) ibid. ſect. 4. n. 9. ex Communi. (c) id. ibid. n. 6.

CAPUT II.

De Scientia.

Quod ad *Scientiam* pertinet, ea *triplex* esse debet. 1. *Judicis*, 2. *Medici*. 3. *Doctoris*.

ARTICULUS. I.

Ut Judici quædam Scientia est necessaria ad valorem Sacramenti, quædam ad licitum usum.

AD *valorem* (*d*) requiritur, ut sciat formam Absolutionis, & distinctionem peccati venialis à mortali, communi modo, ut exempli gratiâ. Quòd hoc vel illud sit mortale, privans gratia Dei, & faciens reum pœnæ æternæ; non sic veniale. Nam si in particulari (*e*) non sciret in singulis speciebus vel præceptis, modò Pœnitens illi bonâ fide confiteretur, nesciens videlicet Confessorem esse adeò ignarum, ut nesciat distinctionem peccati venialis, à mortali saltem communi modo & ordinario, tunc valida esset absolutio

(*d*) Suar. tom: 4. d. 28. sect. 2. n. 10. (*e*) ibid. n. 12.

tio (*f*) secundùm probabiliorem sententiam.

Ad licitum autem *usum* scienda (*g*) sunt in particulari quinque.

1. *Differentia peccati venialis à mortali*, non modò in genere, verùm in particulari, & singulis præceptis, saltem communi modo & ordinario, ut dicemꝰ infra.

2. *Species peccatorum*, numerus, & circumstantiæ, de quibus paulò post.

3. *Quæ dispositio sit necessaria* in Pœnitente.

4. Quod peccatum habeat adnexam *obligationem restitutionis*.

5. Quod peccatum adnexam habeat *reservationem vel censuram*.

In cæteris verò satis est dubitare, & recurrere ad peritiores. Unde.

Sequitur 1. (*a*) *Prædictam scientiam regulandam esse juxta Pœnitentes*. Nam pro rudibus in Pagis, & Villis, minori scientiâ opus est: pro doctis verò & in civitatibus

 major.

(*f*) Idem disp. 28. sect. 2. n. 13. (*g*) Ibid. n. 2.
(*a*) Ibidem n. 4.

major. Pro Militibus, Mercatoribus, Ecclesiasticis, Judicibus, Principibus, multò major requiritur.

Sequitur 2. *Scientiam (b) Poenitentis posse aliquando supplere ignorantiam Confessarii*, hoc enim in casu potest & debet Confessarius fidem adhibere Pœnitenti se accusanti, quare si est homo doctus, potest judicio ejus instrui.

Sequitur 3. *Peccare* mortaliter *Confessarium, qui caret prædictâ scientiâ*. Item Episcopum qui eum approbat, & superiorem qui ei tribuit facultatem Confessiones audiendi. Denique etiam Pœnitentem, qui scienter eligit Confessarium ignorantem respectu ipsius. Verùm *circa hæc quinque*, sunt nonnulla in particulari circa quodlibet *adnotanda*.

§. 1. *De Differentia Peccati veniali à mortali.*

Adverte 1. Quid sit *peccatū mortale (c) ex genere*,

(b) id. ibid. n 5. ex Cajet. (c) de hoc Theologicum *S.* Th. 1. 2. q. 88. Valent: d. 6. q. 18. Vasq. Id. 1. 42. Azor 4. p. t. 1. l. 4. c. 8. & 9. Navar. prælud. 9. 8. thes. l. 2. c. 73. n. 7. quos hîc adire oportet.

vere, quid peccatũ veniale ex genere. Illud enim eſt mortale, quod eſt tale ex objecto: Ad hoc enim peccatum utpotè actus quidam eſt, ſuamque ſpeciem, & genus ſumit. Tale autem objectum univerſaliter eſt, quòd ſit contra charitatem Dei, vel proximi in materia notabili. In ſpecie, quod ſit contra præcepta Dei, Eccleſiæ, Majorum, Vota, Conſcientiam dictantem eſſe mortale, contra virtutes Theologicas, morales nonnullas, ut Religionem, Juſtitiam, Temperantiam, in Delectationibus venereis, & ſimilibus juxta explicationem quam circa hæc dant Theologi.

Veniale autem eſt illud, quod cùm ſit quid inordinatum, eſt extra præcepta, cujus objectum non eſt contrarium dilectioni Dei, vel proximi. Ut verbum otioſum, mendacium officioſum, riſus ſuperfluus, operationes inutiles quinque ſenſuum.

2. Quænam ſint *peccata mortalia in particulari* in ſingulis præceptis. In *primo præcepto* mortale ex genere eſt, quod verſatur circa fidem, ſpem, charitatem,

religionem: Sive quoad excessum, dando cultum indebitum, ut Judæi. Auferendo cultum debitum & tribuendo creaturæ per Idololatriam, Magiam, Divinationem, Observantiam, Maleficium: sive quoad defectum committendo sacrilegium circa personas, res, loca sacra. In *Secundo* Blasphemia, Perjurium, Voti fractio, est peccatum mortale ex suo genere. In *Tertio*, omissi Sacri in die festo, vel partis notabilis, Jejunii diebus præceptis, Confessionis semel in anno: Communionis in anno die Paschatis, Solutionis Decimarum, est peccatum mortale ex suo genere. Huc referenda peccata contra censuras de quibus suo loco. In *Quarto*, non succurrere proximo in necessitatibus corporalibus, per eleemosynam: vel spiritualibus per correctionem, quando adest cognitio moraliter certa de peccato mortali proximi, & est spes emendationis, & opportunitatis personæ & temporis, est peccatum mortale ex suo genere. Item deficere

in honore debito Parentibus, & Superioribus, eos aſperè tractando, ſpernendo, multâ triſtitiâ afficiendo, deſiderando iis malum notabile, non ſuccurrendo in necesſitate, eſt peccatum mortale. In *Quinto.* Offendere proximum in vita, vel bonis corporis, eſt mortale ex genere ſuo. In *Sexto.* Offendere eundem in rebus ad honorem ſpectantibus, eſt etiam mortale ex ſuo genere. Unde, fornicatio, ſtuprum, adulterium, inceſtus, raptus, ſacrilegium, vitium contra naturam cum quatuor ſuis ſpeciebus, mollitie, innaturalitate, ſodomia, beſtialitate, quibus etiam addi poteſt impudicitia, quâ quis vacat tactibus libidinoſis abſque intentione alterius operis conſummati. Hæc ſunt mortalia ex ſuo genere. In *Septimo.* Offendere proximum in bonis externis, furto, contractu illicito, ut uſurario, vel injuſto eſt peccatum mortale ex genere. In *Octavo.* Offendere eundem verbis, & mendacio pernicioſo, contumeliâ, detracttione, maledi-

ctione, susurratione, irrisione, est peccatum mortale ex genere. *Nonum* autem & *Decimum* præceptum revocantur ad *Sextum* & *Septimum*.

Addi possunt *quatuor peccata capitalia* non comprehensa in præceptis, ut Superbia, Gula, Ira, Invidia.

Pro aliis præceptis (a) duo præcipuè esse consideranda. 1. Vim præcepti ex verbis adjunctis. *Si enim præceptum Divinum* sit. Ponderanda verba, si enim significent actionem esse dignam morte, excludere à regno, esse execrabilem &c. indicant esse peccata mortalia; secus si verba sint mitiora. *Si præceptum est humanum.* Tunc consideranda sunt verba an sint præceptiva, an habeant adjunctam pœnam gravem, ut censuram, mortem, amissionem bonorum, exilium. Denique, *si lex scripta non sit.* Habenda est ratio Consuetudinis: quæ ostendet, an hoc habeatur communiter pro gravi aut levi. Traditionis, Consensûs Doctorum, Luminis natu-

(a) DD. multi apud Sair lib. 2. th. c. 13. n. 21.

naturalis. 2. Confideranda eſt materia præcepti, an ſit gravis quæ graviter præcipitur, nam & leviter præcipi poteſt, & è contra levis manens levis etſi graviter præcipiatur, non ſolet ad grave peccatum obligare. Gravis autem eſt materia, quæ eſt de re ad charitatem Dei vel proximi neceſſaria, vel ad ſalutem propriam. Ut ſunt virtutes Theologicæ, Religio, juſtitia, & ſimiles. An noceat ſibi graviter in rebus ſpiritualibus, vel corporalibus.

4. *Excuſant à mortali.* 1. *Levitas materiæ.* Ut patet maximè in furto, contumelia, detractione, & ſimilibus. 2. *Indeliberatio*, defectus rationis, inanimadvertentia. 3 *Ignorantia probabilis*, *Diſpenſatio juſta.* Hæc duo ab omni peccato excuſant. 4. *Neceſſitas & rationabilis cauſa.* Ut in furto, & homicidio ex ſui tutela inculpata, Obſervantia diei feſti & quædam alia. Excipe (*a*) ſextum præceptum, in quo nec ſanitatis, nec vitæ

(*a*) *Sotus* l. 5. juſt. q. 3. art. 4. *Sair* l. c. n. 2.

vitæ necessitas excusare potest. Similiter cultum idoli, perjurium, & similia.

§. 2. *De Speciebus tria sunt cognoscenda.*

1. *Necessarium esse illas explicare in Confessione ex Trid. Sess. 14. cap. 5. & can. 7.* propter diversum judicium quod causant, ob diversam curationem, & satisfactionem proportionatam, quam requirunt.

2. *Per species diversas intelligi* tum peccata contra diversa præcepta, tum contra diversas virtutes in eodem præcepto, tum causas quæ pendent ex fine, circumstantiis, mutantibus speciem, ut si quis furaretur causâ homicidii, si percuteret Sacerdotem.

3. Aliquando circumstantiam de veniali (*b*) facere mortale etiamsi non mutet speciem, ut furtum in magna quantitate. Si verò quis oblitus esset manifestare talem circumstantiam; vel aliam, mutantem speciem, teneretur illam confiteri. Et si illa sufficienter decla-

(*b*) Suar. d. 22. s. 2. n. 7.

declarari poteſt absq; mentione peccati cui connexa erat, ut quando finis eſſet, circumſtantia ſatis erit: Sin minùs, cogetur etiam conſequenter repetere peccatum, ut communiter accidit.

De Numero ſcienda ſunt quinq;.

1. Eſſe *neceſſarium explicare numerum* in confesſione. *Trid. l.c.* ubi dicit, *omnia & ſingula.* Omnia enim refertur ad ſpecies, ſingula ad numerum. 2. Hunc modum videri expeditisſimum. Ut 1. Si numerus factâ morali diligentiâ, *conſtet*; dicatur certus. 2. *Si non conſtet*, dicatur probabilis, plùs, minùs. 3. Si neq; hic haberi posſit, dicatur conſuetudo, tempus, & frequentia in die, hebdomada, menſe. In confesſione meretricis præterea quæratur ob diſtinctam malitiam, cum cujus generis perſonis peccabant, ſacris ac profanis. Et ob reſtitutionem, an cum illis, quæ non habebant rerum earum dominium quas illis elargitæ.

Quod sciendum est de *Numero* est quomodò peccata interna numero multiplicentur. Et breviter ex *Suar. d.22. sect.1. n.6.* patet ordinariè multiplicari per interruptionem. *Interruptio* verò fit, vel per contrariam voluntatem, vel per voluntariam, aut etiam involuntariam ab illo actu cessationem. De qua re uberiùs Theologi: ad quos hîc remittimus. De actibus verò externis vide *Cajet. Tom. 1. opu. tr. 31. resp. 15 dub. 2. Navarr. &c.* quod erat quartum.

5. In uno (*a*) actu Physico possunt esse multæ malitiæ morales numero distinctæ, ut si uno actu quis occidat tres. Et quamvis non esset distinctio numerica esset adhuc circumstantia valde (*b*) aggravans, & necessariò explicanda in Confessione, de quo non est hujus loci.

De *Circumstantiis* duo notanda sunt. 1. Quadruplices esse. *Primæ* dicuntur esse *impertinentes*, ut quòd quis manè vel

(*a*) Navarr. c. 6. n. 6. (*b*) Suar. d. 22. sect. 2. n. 12.

vel vespere peccavit. *Secundæ, minuentes,* ut quòd exemplo alterius inductus. *Tertiæ, aggravantes* notabiliter in eadem specie, ut furtum in magna quantitate. *Quartæ, mutantes speciem*, ut circumstantiæ loci sacri, personæ, & similes.

Ex his, *primæ* debent omitti in confessione. *Secundas* non refert dicere. *Tertiæ* explicandæ sunt, tum quia Ecclesia sæpè reservat peccatum hujusmodi habens circumstantiam tantùm aggravantem, ut furta & damna certæ quantitatis, teste Navarr. in Manuali cap. 6. n. 9. Ecclesia autem non reservat nisi ea quæ sunt de necessitate confessionis. *Quartæ* omninò sunt aperiendæ.

Circumstantiæ numerantur hæ.

Quis. Ut si persona sit sacra, conjugata, publica, in officio constituta. Prima pertinet ad Religionem. Secunda & Tertia ad Justitiam.

Quid. Id est conditiones materiatæ. Ut quantitas, qualitas personæ in quam pec-

peccatur. Ut si esset Clericus, conjugatus, superior &c.

Ubi. An locus Sacer & publicus.

Quibus auxiliis. An habuerit complices in aliquo peccato, eosque induxerit.

Cur. In quo significatur finis extrinsecus. Ut si furatus sit ob homicidium, vel adulterium.

Quomodo. Ut si infamavit mentiendo, aut dicendo verum occultum. Huc refertur intentio, ignorantia, malitia, contemptus, consuetudo.

Quando. Duratio extraordinaria. Diem festum non opus explicare, nec concursum duorum præceptorum in eodem die, quæ sunt ex eodem motivo. Ut si in eundem incurrat diem Vigilia & dies Quatuor temporum, Missa ob Festum & Dominicam.

§. 3. *Dispositio est necessaria in Pœnitente.*

Hæc verò desumi debet ex tribus. *Ex dolore, ex proposito, ex integritate confessionis.*

Primò

Primò igitur *circa dolorem*, tria notanda sunt. 1. Dolorem aliquem esse necessarium, qui saltem sit *Attritio*, (a) quia non extat præceptum, quòd debeamus accedere ad hoc Sacramentum contriti contritione perfectâ, tamen attritio debet esse supernaturalis, & proveniens ex principiis gratiæ.

2. Ipsam sui accusationem seriò factam, præsertim à bene morato, esse sufficiens signum doloris. Quòd si præterea Pœnitens dicat se dolere, potest ei tutò credere Confessarius.

3. Quòd si non appareret signum doloris sufficiens, explorandus esset dolor interrogatione aliquâ, & ad illum Pœnitens impellendus propositâ gravitate peccati, ex pœnis Inferni; expulsione Angeli è cœlesti paradiso, Adam è terrestri, & aliis hujusmodi. In pueris & rusticis id frequenter solet evenire.

Circa propositum notanda sunt quinque

(a) Suar. d. 20. S. 4. n. 9: quam dicit esse practicè certam.

que. 1. *Idem signum* (*b*) sufficiens esse pro dolore, esse etiam pro proposito; nisi requireretur partiale propositum ex aliqua restitutione facienda, vel occasione proxima vitanda.

2. *Vitandas esse comparationes* in particulari ad explorandum propositum. Satis enim est, si Confessarius judicet probabiliter Pœnitentem quando actu confitetur habere propositum non peccandi de cætero. Unde etiam (*c*) non est opus, ut sibi persuadeat Pœnitentem non ampliùs peccaturum, vel saltem per aliquod tempus non relapsurum in eadem peccata. Quamuis enim hæc eventura putaret; posset tamen eum absolvere, modò cognoscat habere actu propositum non peccandi.

3. Quando adest *specialis obligatio restituendi.* Tunc si commodè potest intelligi restituturus Pœnitens, primâ vel secundâ vice satis est quòd promittat, nec est urgendus (*d*) ad ad realem restitu-

tio-

(*b*) Suar. l. c, cum omnibus DD: (*c*) Idem ibid. n. 3. (*d*) ibid. n. 3.

tionem: nisi ex circumstantiis probabile dubium oriretur restitutionem non futuram. Si verò ter vel quater non implevisset, adigendus erit ad realem restitutionem ante absolutionem, secluso scandalo, vel offensione magnâ Pœnitentis: quamvis si constaret ex circumstantiis certò illum restiturum, posset absolvi. Quodsi non possit restituere, tunc satis est si proponat se restituturum cùm ad pinguiorem fortunam venerit.

4. Quando adest *specialis obligatio ex occasione* videlicet aliqua *proxima*, non est absolvendus nisi proponat eam se relicturum: si non reliquerit, faciendum est, ut dictum est de restitutione. Ad hoc autem ut censeatur esse *occasio proxima* duo præcipuè necessaria sunt. 1. Ut sit *voluntaria*, (e) unde quando moraliter vitari non posset, non diceretur voluntaria. 2. Ut vel ex suo genere talis sit, quæ frequenter inducat homines similis conditionis ad peccandum,

(e) Suar. disp. 32. s. 2. num. 4.

dum, vel ut conſtet experimento, in tali homine talem habere effectum. In particulari ſi quis haberet domi concubinam, ne quidem primâ vice abſolvendus eſſet, niſi eâ priùs realiter dimiſsâ regulariter loquendo.

5. Recidivi (*a*) ſi ſemper verè doleant & firmiter proponant, abſolvendi ſunt, multò magis ſi adhibeant remedia & ex fragilitate recidant. Item ſi diminuant (*b*) ſaltem numerum peccatorum: Si aliquoties reſiſtant, ſi conſuetudinẽ interrumpant. (*c*) Poſſet tamen aliquando differri abſolutio, ſuaviter ad id introducto Pœnitente.

I. *Circa integritatem*, in ea ſibi ſatisfacere debet Confeſſarius, id autem ex his conſequi poterit. 1. Ante (*d*) confeſſionem *agnoſcat ſtatum Poenitentis*, ut ſi Mercator eſt, miles, &c. Deinde ultimæ Confeſſionis tempus, & utrum

para-

(*a*) Idem ibid. (*b*) Ibidem ex Nav. cap. 3. n. 21. (*c*) Ib. & Henriq. l. de pœnit. c. 24. § 4. (*d*) Suar. l. c. ſect. 3. n. 1. ex Nav. c. 10. & Cajet. V. Interrog. Conf.

paratus accedat. Casus reservatos & inimicitias (*e*) in ipso decursu Confessionis agnoscet.

2. Si ex (*f*) circumstantiis personæ & Confessionis probabiliter existimet fuisse integram, non tenetur *interrogare.* Multò magis si Pœnitens dicat se nihil ampliùs habere post diligentem præparationem. Si verò putet non esse integram, tunc (*g*) tenetur eum interrogare, de iis, quæ probabiliter cadere possunt in Pœnitentem. Non sit autem (*h*) nimius in sexto præcepto cum pueris & fœminis.

3. Quando advertit Confessionem non esse integram etiam materialiter, tenetur efficere ut integra sit ratione officii; quando autem non est integra (*i*) formaliter, siquidem viâ secretâ id novit, post prudentem interrogationem, tenetur judicare secundum acta & probata in illo foro. Si autem novit publicâ

(*e*) Suar. l. c. ex Cajet. (*f*) Idem ibidem n. 3. (*g*) id. ibid. ex communi. (*h*) Id. ibidem n. 6. ex omnibus DD. (*i*) Ibid. n. 8.

blicâ viâ, poteſt illâ ſcientiâ apertè uti. Quodſi neget & evidens ſit illum mentiri contra integritatem Confeſsionis non debet illum abſolvere. Si non ſit evidens, poteſt illum abſolvere, & credere ab eo negari, quia non tenetur confiteri illud, quia ſcilicet antea id confeſſus ſit.

§.4. *Quæ peccata habeant adnexam obligationem reſtituendi.*

Dicendum eſt, ut plurimùm eſſe illa, *quæ* fiunt *contra Juſtitiam Commutativam*, inter quæ communiora ſunt tria. 1. Eſt injuſtitia *circa bona externa* per furtum, fraudem in contractu & ſimilia. 2. Injuſtitia *circa bona corporis*, ut vitam, membra, per homicidium, mutilationem. 3. *Circa bona famæ* per detractionem.

Primo. Principaliter circa bonorum reſtitutionem *externorum Quatuor* cognoſcenda *ſunt* præcipuè. Quis debeat reſtituere, quid, cui, quando.

I. *Quis*, id eſt perſona, quæ eſt multiplex. 1. *Damnificans*, ut fur, homicida; detra-

tractor, in quo (*a*) debet esse culpa ad hoc ut teneatur ad damnum secutum ex facto: eaque mortalis (*b*) quæ oriatur ex dolo (*c*) vel culpa lata. Reliquæ personæ sunt novem, & dicuntur *cooperantes*, comprehensæ his versibus.

Jussio, consilium, consensus, palpo, id est adulator, *recursus*
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Ex quibus primi sex dicuntur cooperatores directi, & positivè: reliqui indirecti, & negativè. Circa quos.

Nota I. *Cooperantes* quoscunque satis esse si sint causæ cum quibus, & per quas fit damnum etiamsi non sint causæ sine quibus damnum non fuisset illatum. Item *omnes teneri* in solidum, *quando sunt causa efficax totius damni*, hoc est ad totum damnum secutum. Principaliter autem *siquidem actio sit lucrativa*, tenetur *ille qui habet rem alienam*. Si verò tantùm est *illativa*

(*a*) Navar. lib. 2. de restit. c. 1. dub, 4. (*b*) Less. lib. 2, c. 7. dub. 6. (*c*) Navar. lib. 2, c. 2, n. 17. Cajet. in Sum. V. restitutio,

va damni, ut in homicidio &c. Tunc primo loco tenetur (*f*) *Mandans*. Postea Executor, deinde Consultor, & cæteri suo ordine in defectu principalis.

Nota 2. *Cooperatores positivè* teneri quando sunt causa efficax damni secuti: & mandans quidem sive expressè sive tacitè, tenetur nisi (*g*) revocet mandatum ante executionem, & innotescat talis revocatio Mandatario. Non sic tenetur, (*h*) is qui ratum habet delictum suo nomine factum. *Consulens* verò tenetur, nisi removeat (*i*) voluntatem ejus qui consilium accepit, vel curet quantum potest ne sequatur damnum, admonendo tertiam illam personam de periculo. Si consilium datum sit ex ignorantia, debet esse culpabilis mortaliter ad hoc, ut ex illa teneatur. *Consentiens* debet esse talis ut ab eo pendeat damnum, sive antequam fiat, sive in ipso actu illud inferendi. *Receptator* debet esse

(*f*) Petr. Navar. lib. 2. c. 2. n. 87. Less. l. 2. c. 13. dub. 4. (*g*) Navar. Manual. cap. 27. n. 233. (*h*) Petr. Nav. lib. 3. c. 4. n. 69. (*i*) Idem ibid. n. 27.

(*a*) esse talis, ut ex eo alius animetur saltem ad damna inferenda, si adsit præsens, etiamsi sit consangvineus, vel amicus, tenetur.

Nota 3. *Cooperantes negativè* teneri, quando possunt impedire, & non faciunt, cùm tamen ad id teneantur ex officio, ut qui sunt Consultores, Superiores, Custodes. Debet autem esse negligentia (*b*) ex qua id omittunt gravis, ad hoc, ut ex ea teneantur restituere.

II. Quod cognoscendum est. *Quid restituendum* sit pro quavis re. 1. Sciendum est quatuor esse *radices remotas restitutionis*, eæ sunt. Vel ex *contractu*, ut mutuo, vendito, locato. Vel ex *quasi contractu* ut negotiis gestis, tutoria, officio publico, hi enim etiam obligantur acsi fuisset pactum inter eos. Vel *ex delicto*, ut furto, homicidio. Vel ex *quasi delicto*, ut cùm quis læditur non dolo, sed ex imprudentia, negligentia, ignorantia inculpabili.

2 Scien-

(*a*) Tolet. lib. 1. cap. 19. (*b*) Less. l. 1 c. 7. d 3.

2. Sciendum *tres esse radices* (c) *magis proximas* restitutionis. 1. Ex *injusta acceptione* tantùm, ex qua oritur hæc regula. *Quicunq; est causa injustæ acceptionis*, ut furti, usuræ, homicidii, infamiæ &c. *tenetur in solidum ad restitutionem*. 2. Ex *re acceptâ tantùm* ex quo oritur hæc regula. *Quicunq; habet rem alienam, tenetur eam restituere*: & *si* quidem habeatur *malâ fide*, tenebitur ex utroque capite: illa enim retentio dicitur injusta quædam acceptio. *Si* verò *bonâ fide*, tum si habet illam, in re ipsa tenetur reddere: si non, tenetur ab id, in quo factus esset ex illa ditior, ut in majori pretio quod accepisset ex ejus alienatione, vel in rebus propriis quas non consumpsit, alioqui consumpturus si rem alienam non habuisset. 3. Radix est, *ex utraq;*, id est, ex re accepta, & injusta acceptione. Ex qua oritur tertia Regula. *Quicunq; est causa injustæ acceptionis & retinet rem alienam, tenetur ad reddendam rem alienam, & fructus ejus*, tum naturales, tum naturales simul & indu-

(c) Cajet. t. 2. q. 62. a. 6. Communiter receptus.

industriales deductis expensis & æstimatione laboris *& damna secuta*.

Nota. Cognoscendam esse differentiam inter primam & secundam Radicem, quæ triplex est. 1. Qui tenetur ex re accepta tantùm, si ea casu perit, vel sine culpa ejus qui retinuit, ad nihil tenetur: qui verò ex injusta acceptione, tenetur ad totum. 2. Qui ex re accepta, tenetur tantùm ad fructus extantes, vel in se, vel in alio, quatenus factus est ditior ex illis, & ad fructus perceptos qui à Domino rei potuissent percipi. 3. Qui ex injusta acceptione, tenetur ad damna secuta, & lucra quæ cessârunt damnificato, non item qui ex re accepta.

III. *Est*, *Persona*. *Cui debet fieri restitutio*. Qua in re dicendum.

1. *Si Dominus est certus* & notus, *illi facienda est restitutio*, vel hæredibus ejus.

2 *Si certus est*, *sed ignotus*, tunc fiat diligens inquisitio, & factâ, si non reperiatur, dandũ est pauperibus, sub quorum nomine veniunt indigentes, loca pia, consangvinei pauperes, ipsemet debitor si pau-

 per

per sit. 3. Si *Dominus sit incertus*, siquidem id sit, quia ex tribus vel quatuor ignoratur verus Dominus, tunc res est restituenda de consensu ipsorum, vel sorte cui obtigerit. Si, Quia communitas aliqua, vel aliqui ex civitate, ut contingit in iis qui fraudant communitatem in pondere, vel mensura, vel pretio, tunc tantùm augendum erit pondus, vel mensura, ut suppleat diminutionem. Si denique sit incerta persona particularis, tunc post diligentiam sufficientem, si non reperiatur dandum est pauperibus, juxta dicta hîc n. 2.

4. *Bona* verò possunt esse *incerta* tribus modis. 1. Quia *nullum habent dominum*, ut gemmæ, lapilli in littore maris, feræ &c. hujusmodi. 2. Quia non habent probabilem de præsenti, ut thesaurus. Et tunc si arte Magicâ inventus sit debetur Fisco vel Principi; si lex faciat inhabilem inventorem: sin minùs, non debetur nisi post sententiam (b). Si verò sit inventus bonis artibus, tunc si locus, in quo repertus

(b) Less. l. 2. c. 5. dub. 17.

pertus est, est inventoris, totus est ipsius jure communi. *Si* alterius: dimidium Domini loci, & dimidium Inventoris, modò casu inventus sit. Nam si ex industria & cum licentia Domini, totus est Inventoris: si sine licentia totus est Domini, saltem post sententiam; nam ante illam (*a*) potest in conscientia retinere. 3. Quia sunt amissa, quamvis habeant probabiliter Dominum, & tunc si factâ diligentiâ Dominus non inveniatur, communior opinio est, quòd dandum sit pauperibus. Probabilis tamen est posse retineri ab Inventore.

5. Dicendum est, *turpiter accepta*, id est pro faciendo actu turpi, ut meretricio, homicidio, sententiâ injustâ &c. *Si actus* non fiat, reddenda est in conscientia Datori. *Si actus est secutus*, potest retineri. Accepta verò *per ludum*, aliàs lege humanâ prohibitum (modò absit fraus & dolus, qui sint contra leges ludi, & absque notabili artis inæqualitate, & cum persona habili) non sunt restituen-

(*a*) Less. l. c.

da in conſcientia: nec etiam qui pecuniâ creditâ; Sed ſi victus utatur beneficio legis, tunc eſſent reſtituenda. 6. Denique *accepta per Simoniam* realem, item pro data & promiſſa, pro gratia & juſtitia obtinenda apud Sedem Apoſtolicam, reſtituenda ſunt Eccleſiæ vel Pauperibus.

IV. *Quando facienda ſit reſtitutio?* Dicendum 1. Quoad animi præparationem ſtatim eſſe faciendam: quoad realem, quàm primùm commodè poteſt. 2. Si ter vel quater quis promiſit reſtituere, & non reſtituit, dic ut ſupra cùm de propoſito ageremus. 3. Non eſt reſtituendum cum damno bonorum altioris Ordinis, ut vitæ, famæ, ſanitatis, nec etiam cum gravi damno bonorum ejusdem Ordinis: modò ex hoc non ſequatur æquale damnum in creditore, tunc enim præponendus eſt creditor. 4. Nec cum jactura ſtatûs, quando eſt juſtè acquiſitus, quamvis bene cum diminutione, citra notam Paupertatis.

3. Prin-

Secundò Principaliter. *Circa restitutionem bonorum Corporis.* Hæc triplicia sunt. Vita, integritas corporis, Claustrum Virginale. Quæ violantur per homicidium, mutilationem & stuprum. *Homicida* ergo *ad duo* (*a*) tantùm *tenetur*. 1. Ad damnum temporale vitæ, quantum æstimabitur spes illa utilitatis, & lucri; detractis iis quæ ipse consumpsisset in victu & vestitu. Æstimatio autem debet fieri arbitrio boni viri: & hæredes (*b*) quibus est facienda restitutio debent esse ii, qui censentur una persona cum defuncto, ut Parentes, Filii, & uxor occisi. Quare Fratribus, creditoribus, & aliis non tenetur: nisi ratione legis alicubi particularis.

Ad damnum autem naturale vitæ, non tenetur *occisor* (*c*) quando occisus est homo liber: sed tantùm ad petitionem veniæ. Si autem sit servus tenetur Domino, quantùm vita servi æsti-

(*a*) Vide Sotum l. 4 q. 6. a. 3. ad 3. (*b*) Less. l. 2. c. 9. dub: 15. & 16: (*c*) Nav. lib. 2. c. 9. dub. 15. & 16.

mabitur. (*d*) Denique excusatur à restitutione quando occisus remittit debitum, quando erat aliàs justè occidendus, v. g. per justitiam: quando provocâsset ad duellum: quando fuisset aggressor & invasus non excessisset fines inculpatæ telæ notabiliter. *Mutilator* vel injustè aliquem percutiens *ad tria tenetur*. 1. Ad expensas in curatione vulneris. 2. Ad æstimationem spei illius lucri, quod facere poterat, detractis expensis. 3. Ad æstimationem damni quod ex hoc secutum. (*e*) Pro deformitate autem cicatricis relictæ non tenetur si mutilatus fuit homo liber: si servus, tenebitur, ut supra.

Stuprator. Si Virgo liberè (*f*) consensit, ad nihilum tenetur. Si fraude, fallaciis inducta: tenetur, ad conjugium si promisit. 2. Ad reparationem damni ex stupro quantum æstimabitur arbitrio boni viri. 3. Ad dotem si Judex illum ad eam condemnavit. Pro sola autem injuria ipsi

(*d*) Ibid. c. 15. n. 27. Petr. Nav. lib. 4. c. 1. n. 92.
(*e*) ibidem ll. cc. (*f*) Less. l. 2. c. 10. dub. 3.

ipſi Virgini illata ſatis eſt petere veniam. *Adulter* verò, ut de illo Stupratoris occaſione dicamus, pro injuria illata marito nihil tenetur, (*g*) niſi ad petitionem veniæ ſi maritus reſciat. Quòdſi tamen partus ſequatur, & Adulter certò putet prolem eſſe ſuam 1. Tenetur ad alimenta à tertio anno, donec ſibi proles providere poſſit de alimentis. *Adultera* autem tenetur à partu ad tertium annum usque completum eidem proli. 2. Ad reſtitutionem hæreditatis, quam illegitimus accepit cum aliis Filiis legitimis. Quòdſi habeat probabiles rationes dubitandi, quòd proles non ſit ſua, ad nihil tenetur. Simili modo *adultera* etiamſi non teneatur manifeſtare delictum marito, aut proli: niſi moraliter certa eſſet per hoc ſe impedituram damnum aliorum Filiorum, & quòd nullum ſibi ex hoc periculum vitæ vel infamiæ inſtaret. Obligatur tamen ad curandum quantùm poteſt, ut legitimi hæredes non patiantur damnum dando illis

(*g*) Leſſ. l. 2. c. 10. dub. 10.

bona parephernalia si quæ habet relinquendo illis lucra ex suo labore, & industria, inducendo illegitimum ad Religionem si aptus sit præter hæc ad nihil tenetur.

Tertiò principaliter. *Circa Restitutionem famæ*, quatuor præcipuè scienda sunt. 1. Famam dupliciter posse lædi, imponendo alteri crimen falsum: aut manifestando verum occultum contra ordinem juris, vel fraternæ correctionis. Id autem potest fieri directè & ex intentione, quæ est *detractio formalis*. 2. Indirectè ex negligentia & loquacitate, quæ est detractio materialis.

2. *Ad restitutionem famæ requiritur*, (*a*) 1. Ut materia sit gravis regulariter. 2. Ut defectus (*b*) sit moralis. Naturalis enim non inducit obligationem, nisi casu quo existimaretur Persona de quo refertur, contemnenda ab audientibus. 3. Ut sit (*c*) talis, quæ notabiliter judicetur

(*a*) Sylv. V. Detractio n. 2. Petr. Nav. l. 2. c. 4. n. 312. (*b*) Petr. Nav. l. c. n. 303. (*c*) Corduba de detract. q. 2. Less. l. 2. c. 1. dub. 3.

cetur lædere famam. 4. Ut sint peccata specialia (*d*) regulariter. 5. Ut fama verè sit ablata & non restituta aliâ viâ. 6. Ut (*e*) non sequatur ex restitutione majus malum Detractori, ut periculum vitæ; vel majus damnum in fama propria, vel aliena.

3. *Qui refert peccata alterius* (*f*) *audita* absq; assertione, vel detrahit materialiter, regulariter non tenetur; nisi in casu quo referrentur eâ ratione, ut meritò audientes inducerentur ad sentiendum malè de proximo. *Qui* verò *audit* si tenetur ex officio impedire; vel si excitet aut animet alium ad detrahendum, obligatur ad restitutionem.

4. *Qui infamavit* (*a*) *dicendo falsum*, tenetur dicere se falsum dixisse: qui verò manifestando verum occultum; laudet; & honorificè loquatur de eodem in iis quibus detraxit.

(*d*) Sylv. l. c. Nav. c. 18. n. 24. (*e*) Less. c. 2. d. 26. (*f*) Sotus. l. 4. just. q. 6. a. 1. ad 4. Less. dub. 5. (*a*) Petr. Nav. lib. 2. c. 4. n. 375. & 380.

§. 5. *Quæ peccata habeant adnexam Reservationem vel censuram?*

1. Scienda sunt aliqua circa Reservationem peccatorum. Ea verò sunt 1. Peccata *venialia non solere reservari* (b) cùm possint etiam extra Confessionem expiari. 2. *Neq; peccata mortalia* merè *interna* (c) *sed externa* (d) non quidem omnia, id enim non esset expediens, sed *aliqua graviora*, quod etiam verum est respectu Religiosorum, ut colligi potest ex Decr. Clem. VIII. præscribentis casus reservatos pro Religiosis. 3. Reservari (e) posse peccata *etiamsi non habeant adnexam excommunicationem*, quòd in reservatis ab Episcopis constat, item à Prælatis Religionum. *A summis* autem *Pontificibus* regulariter *non* reservantur peccata *sine censura*. Et quidem (f) *Episcopis jure communi* quamvis nonnulli casus videantur reservati. Ut 1. pec-

(b) Suar. d 29. *S.* 3. (c) ibid. n. 3. (d) ibid. n. 4. (e) ibid. S. 2. n. 3. (f) Id. d. 29. S. 3. Extravag. super Cath. de sepultura.

peccata quæ habent adnexam Pœnitentiam publicam, vel excommunicationem majorem, vel irregularitatem. 2. Incendiariorum. 3. Publicæ blasphemiæ. 4. Homicidia (g) voluntaria. 5. Falsariorum. 6. Violatorum Ecclesiasticæ immunitatis, & sortilegia. Attamen (h) verius est nullos esse reservatos seclusâ consuetudine, ex qua, quinam sint reservati, pendet ex locorum peculiarium cognitione.

4. *Quemlibet* Sacerdotem (i) *in articulo mortis* posse *absolvere* à quibuscunque reservatis & quidem (l) si non habeant censuram adnexam, non remanet obligatio in absoluto, comparendi deinde coram Superiore legitimo. Si verò habeant adjunctam censuram, remanet onus ad comparendum coram Superiore. Extra (a) articulum talem, nullus Inferior directè potest absolvere à reservatis.

Quo-

(g) Extrav. Inter cunctas. (h) Suar. d. 29. S. 3. (i) Id. d. 30. *S.* 5. (l) ibid. n. 7. (a) ibid. n. 8. ex Trid. Sess. 4. c. 7.

Quoad modum absolvendi (*b*) *quando superior audit tam reservata quàm non reservata* : tenetur absolvere ab omnibus. Sine causa gravi non potest auditis tantùm reservatis ab illis absolvere remittendo cum aliis ad Inferiorem; Quia non debet dimidiari (*c*) Confessio sine causa. Quoties autem (*d*) id licitè fit, ex tali confessione proficiscitur verum Sacramentum, est enim talis Confessio semper integra formaliter. Alia (*e*) quæ fit Inferiori de non reservatis est omninò integra, cùm reservata jam sint omninò absoluta, atque adeò jam non sint iterum subjicienda clavibus, quamvis (*f*) alii dicant esse subjicienda, ut uni fiat integrè de omnibus. Quando verò (*g*) inferior audit Pœnitentem, habentem reservata, sine causa necessaria non potest neque à non reservatis absolvere, ut dictum est supra cùm de potestate ageremus ; cum tali causa potest

(*c*) id. ibid. n. 5. & 7. (*d*) ibid. n. 9. (*e*) ibid. n. 9. &. 10. (*f*) Cajet. V. Confessio conc. 10. (*g*) Suar. d. 32. s. 3.

poteſt. Debet autem (*b*) tunc omnia audire etiam reſervata, cùm circa omnia debeat Pœnitens eſſe benè diſpoſitus, eamque diſpoſitionem examinare pertineat ad Confeſſorem, & hæc circa reſervationem.

De Cenſuris.

De Cenſuris in communi *ſcienda* ſunt aliqua. 1. Sciendum eſt Cenſuram *eſſe poenam Eccleſiaſticam ſpiritualem* fori contentioſi, quâ ſpiritualium uſus interdicitur, ut à contumacia diſcedatur. Ejus ferendæ poteſtas eſt à Chriſto, inflictio autem ab homine Eccleſiaſtico, qui ſi ferat illam per conſtitutionem modo quodam permanente, dicitur talis cenſura à *Jure* : Si per ſententiam & modo quodam tranſitorio, dicitur *ab homine.*

2. *Non incurritur excommunicatio* major *niſi* ob peccatum *mortale* adjunctâ contumaciâ, id eſt, inobedientiâ, contra Eccleſiam : Suſpenſionis tamen aliquando etiam eſſe poteſt ſatis culpa venialis,

(*b*) Idem ibid. n, 8.

nialis, quando fertur ab homine generaliter.

3. *Excusat* etiam *ignorantia* probabilis, vel quòd talis actio cui adjuncta est censura, sit peccatum, vel quòd prohibita sit ab Ecclesia sub tali censura: sic etiam *impotentia faciendi id*: quod præcipitur per censuram, ut solvendi debitum excusat.

Quoad excommunicationem majorem.

Primò, Sciendum est decem esse ipsius effectus

1. Enim privat excommunicatum suffragiis communibus Ecclesiæ.

2. Communicatione passiva Sacramentorum, quamvis per se, & vi sua non efficiat illa nulla.

3. Administratione activa Sacramentorum, quamvis non annullet nisi illud tantùm, quod requirit jurisdictionem ad suum valorem.

4. Usu ordinum ex officio ut prius.

5. Ecclesiasticâ sepulturâ.

6. Reddit personam incapacem, & ineligibilem ad Beneficium Ecclesiasticum.

7. Impedit acquisitionem dominii, fructuum Ecclesiasticorum, eorumq; administrationem.

8. Privat usu jurisdictionis, tollendo jurisdictionem actualem: tam in foro Poenitentiæ, quàm contentioso; tam Ecclesiastico; quàm in probabiliori sententia, in seculari.

9. Excludit ab omnibus actibus forensibus, solâ sui defensione exceptâ. Unde nec Actor, nec Testis, nec Advocatus, aut Procurator esse potest: tenetur etiam abstinere se ab his omnibus muneribus, & repelli potest, & debet etiam; si vitandus sit, quòd si non repellatur, acta ejus irrita non sunt.

10. Prohibetur illi omnis communicatio civilis. Unde nec contractus celebrare, nec testamenta condere, nec uti publico officio, aut ministerio potest, licet non sint invalida omnia, quæ ab eo agun-

aguntur, nisi jurisdictionem requirant; & vitandus sit. Ad hunc etiam reducitur privatio omnis communicationis politicæ, & humanæ cum aliis fidelibus colloquendi, salutandi, &c.

Possunt autem hi omnes effectus reduci ad tres.

1. Ad privationem communicationis in rebus spiritualibus, ut officiis divinis, Sacramentis, &c.

2. Ad privationem communicationis in rebus mixtis ex spiritualibus & temporalibus, ut collationem Beneficiorum receptionem, &c.

3. Ad privationem communicationis in rebus temporalibus, & civilibus, ut agere in judicio, & uti humano convictu, & consortio.

2. Sciendum est solùm excommunicatum, non toleratum, vitandum esse qualis est, vel denunciatus nominatim, vel notorius percussor Clerici; occultus autem non est vitandus à non excommunicatis; quamvis ipse teneatur alios vitare,

vitare, & non se ingerere in aliorum conversationem; Quando autem requiritur à non excommunicatis, potest cum illis agere absque ullo peccato.

3. Sciendum est Excommunicatum vitandum esse in quinque casibus contentis eo versu.

Os, *orare, vale, communio, mensa negatur.*

Ex quinq; autem aliis causis posse cum illo agi sine ullo peccato, quæ etiam continentur eo versu.

Utile, lex humile, res ignorata, necesse.

4. Sciendum est: *Mortaliter tunc peccare excommunicatum,* quando facit prohibita per excommunicationem communicando cum aliis in rebus spiritualibus, vel mixtis, quæ sunt illi peculiariter prohibitæ. Quòd si communicaret tantùm in rebus civilibus non peccaret mortaliter. Ita etiam qui communicant cum ipso in prædictis duobus nisi excusentur aliquâ ex dictis causis, peccant mortaliter; Qui tantum in 3. peccant venialiter tantùm semper tamen

incur-

incurrunt excommunicationem minorem.

Quoad Excommunicationem minorem. Tria ſcienda ſunt.

1. Ejus effectus duos eſſe. Unum privare uſu Sacramentorum paſſivò. Alterum efficere inhabilem ad electionem paſſivam; ita tamen ut irritanda ſit electio, non ſit autem irrita, ipſo jure.

2. Incurri in minorem excommunicationem in uno tantum caſu nempe in participatione cum denunciato, vel notorio percuſſore clerici, in tribus communicationibus dictis.

3. Ab ea poſſe omnem Sacerdotem habentem jurisdictionem abſolvere.

De Suſpenſione.

Quoad *Suſpenſionem* verò *tria* etiam *ſcienda* ſunt.

1. Convenire tantùm Clericis, non autem Laicis.

2. Eſſe

3. Esse duplicem. *Ab officio* sive ordinis, sive jurisdictionis, sive administrationis, & à Beneficio, id est, à Jure percipiendi fructus ex Beneficio.

3. Suspensus non facit fructus suos in Conscientia, ideoque teneri ad illos restituendos, detractis necessariis ad sustentationem; nisi aliunde possit vivere: Sic etiam si per ipsum non stetit quò minùs absolveretur, facit fructus in Conscientia.

De Interdicto.

Quoad Interdictum tria etiam cognoscenda sunt.

1. *Illud privare usu divinorum activo & passivo*, id est officiis divinis, Sacramentis, & sepultura Ecclesiastica.

2. *Quadruplex esse* Interdictum, Locale, Personale, Generale & Speciale.

3. *Quando est Generale conferri possunt tria Sacramenta*, Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia, saltem in articulo mortis; Recipi autem possunt etiam

ab

ab interdictis; modò non ſint ſpecialiter interdicti, vel cauſam dederint Interdicto. Sic etiam officia divina celebrari poſſunt in Eccleſia januis clauſis, voce ſubmiſsâ, non pulſatis campanis; & excommunicatis, & interdictis ſpecialiter excluſis.

De Irregularitate.

Quoad *Irregularitatem* ſciendum eſt

1. Eam non impedire receptionem Sacramentorum præterquam Ordinis. Si quis hunc reciperet peccaret mortaliter. Sicut etiam ſi miniſtraret in ſuſcepto.

2. Sciendum eſt ut ſupra dictum. Duplicem eſſe *Irregularitatem*. Quandam ex *Defectu*; quandam verò ex ex *Delicto*; Illa ſine ullo peccato incurri poteſt; Hæc verò præſupponit peccatum, & quidem mortale.

3. Sciendum utramque reddere inhabilem ad Beneficia de novo acquirenda; ita ut collatio nulla ſit. Receptis autem non privat niſi per ſententiam.

Quod verò spectat *ad absolutionem à Censuris.* Notanda sunt aliqua.

Absolutionem, quæ conceditur in foro Pœnitentiæ (*a*) per privilegia mendicantibus concessa, & alia similia non requirere alias cæremonias præter eas, quæ sufficiunt ad Sacramentum Pœnitentiæ: Forma (*b*) autem illa, quæ præscribitur in cap. *Ex tenore* & cap. *de coetero* de *Sententia Excommunicationis*, servanda etiam est in occulta absolutione, quantum ad ea, quæ commodè fieri possunt, ut est Juramento, parendi mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendi, si satisfaciendum sit.

2. Quando (*c*) absolvendi facultas conceditur alicui, sub limitatione satisfactâ parte, si is, qui absolvendus est potest satisfacere, debet præmitti satisfactio; si verò non potest, sufficit cau-

(*a*) Suar. tom. 5. d. 2. sect. 10. n. 4. & sequent. ex Navar. c. 26. n. 19. (*b*) Suar. tom. 5. disp. 19. sect. 2 n. 13. (*c*) Idem. d. 2. sect. 5. n. 39.

cautio præteritorum, & propositum satisfaciendi. Quòd si sacerdos (*d*) absolvat ante satisfactionem cùm possit pœnitẽs eam facere, absolutio erit irrita. Quando denique (*e*) excommunicatio nullam satisfactionem partis læsæ requirit potest tolli absque ulla satisfactione.

3. (*f*) Sacerdotes è nostra Societate posse absolvere, ab omnibus censuris latis à Jure, & reservatis Sedi Apostolicæ, præterquam iis, quæ continentur in Bulla Cœnæ. A Censuris (*g*) autem latis ab homine; generatim quidem soli Superiores possunt absolvere, & ii, qui ab eis specialem licentiam obtinuerint. Speciatim autem sive nominatim, nec etiam Superiores absolvere debent.

4. Peccata quæ *habent adnexam reservationem*: cum censura sunt omnia illa, *quæ Papæ reservantur*; sive in Bulla, sive extra Bullam Cœnæ, sunt etiam alia nemini reservata.

De

(*d*) Idem Ibid. (*e*) Idem Ibid. n. 46. (*f*) Compend. privilegior. V. Absolutio. (*g*) Ibid. adnotat.

De Excommunicationibus in Particulari.

Breviter aliqua ſcienda ſunt de Excommunicationibus in particulari. Confeſſarius enim ſaltem confusè debet ſcire excommunicationes à quibus poteſt abſolvere, & deinde habere intentionem generalem abſolvendi ab omnibus à quibus poteſt; eas autem à quibus non poteſt abſolvere debet ſcire diſtinctiùs.

Excommunicationes igitur *omnes ad tres claſſes revocantur.*

1. Comprehendit eas, quæ nemini ſunt reſervatæ.

2. Comprehendit eas, quæ Papæ reſervantur extra Bullam Cœnæ.

3. Eas, quæ reſervantur in Bulla Cœnæ.

Et quidem eæ, quæ *nemini reſervantur* ſunt omnes num. 22. Præcipuè autem eæ, quæ uſu veniunt ferè 14.

1. Con-

1. Contra occupantes bona &c. Ecclesiarum c. *Generali* de electione in sexto.

2. Compellentes personas Ecclesiasticas, ut submittant bona Ecclesiarum laicis. c. 2. *de rebus Ecclesiasticis non alienandis in sexto.*

3. Sepelientes hæreticos, excommunicatos, interdictos in loco sacro *cap. 2. de hæret. in 6. & Clem. 1. de sepultura.*

4. Contrahentes in gradibus prohibitis, vel cum Monialibus, vel Persona sacra, aut Religioso. Clem. 1. de Consangvin.

5. Impedientes Visitatores Monialium, si admoniti non desistant. *Clem. Attendentes de stat. Monialium.*

6. Imprimentes, mandantes imprimi, vendentes libros sine approbatione Superiorum. *Leo X. Bulla X.*

7. Raptores mulierum & præbentes illis auxilium. *Trid. Sess.* 24. c. 6. de Reformatione matrim.

8. Cogentes ingredi mulieres in Monasteria, vel impedientes earum ingressum, vel ne liberè contrahant matri-

Denique Reſervati Papæ *in Bulla Cœnæ &c.* Omnes ſunt n. 20. Qui memoriæ cauſa reduci poſſunt ad capita quinque.

1. *Caput ad fidem*; Unde excommunicantur omnes hæretici, Schiſmatici; legentes eorum libros, eosdem retinentes, imprimentes, defendentes, defenſores hæreticorum, receptores, fautores &c. ut in prima excommunicatione.

2. Ad *Caput Eccleſiæ*, Qui eſt Summus Pontifex quatenus poteſt offendi dupliciter. 1. *Ut* Princeps ſupremus in Spiritualibus, & ſic excommunicantur appellantes ab eo ad Concilium in 2da. 2dò. Ut eſt Princeps in temporalibus certæ partis Orbis, & ſic excommunicantur occupantes bona, & jurisdictionem ad ipſum pertinentem ut in 2da.

3. Ad Eccleſiam quæ poteſt offendi tum in ſuis perſonis, & membris, vel per latrocinium maritimum. Ut in 3tia, vel per raptum bonorum naufragan-

rium, ut in 4ta, vel per impositionem onerum contra Justitiam ut in 5ta, vel per offensionem Romipetarum ut in Xa. Tum in suo principatu, quomodo excommunicantur deferentes arma &c. ad inimicos Christiani nominis ut in 2da.

4. Caput. *Ad Sedem Apostolicam* quæ offendi potest. 1. Quoad personas quæ sunt sub ejus protectione quales sunt deferentes victualia ad Curiam Papæ ut in 8a. Venientes ad eam pro negotiis, morantes & recedentes ut in 9a. & recurrentes ad illam ut in 12a. 2. Quoad suam authoritatem, vel per falsificationem literarum Apostolicarum ut in 6a. Vel per appellationem à gravamine ad laicam potestatem ut in 13. vel per usurpationem bonorum Ecclesiasticorum ut in 12.

Ad Ecclesiasticam Hierarchiam. Quæ potest offendi. 1. Ratione principalium ejus membrorum, quales sunt Cardinales, Nuntii, Episcopi, aliique Prælati, ut in 2. 2. Derogando ejus autho-

authoritati, vel per cognitionem causarum spiritualium à Laicis, ut in 14. Vel per immunitatem fori, ut in 15. Vel per recursum à Jurisdictione Ecclesiastica ad Laicam ut in 16. 3. Derogando ejus libertati, vel per impositionem onerum personis, & bonis Ecclesiasticis, ut in 18. vel per cognitionem causarum criminalium pertinentium ad Clericos ut in 19.

Et hæc sint satis circa Censuras & circa scientiam necessariam Sacerdoti tanquam Judici.

ARTICULUS II.

De Scientia necessaria Sacerdoti tanquam Medico.

DEbet Confessarius tanquam Medicus duo præcipuè scire.

1. Regulas communes, quibus excusari potest, quis à præcepto, & à peccato mortali; Ut est Ignorantia probabilis, Inadvertentia, Impotentia, levitas materiæ, Metus etiam gravis, ut infamiæ vel mortis excusat in quibus-

dam præceptis, præsertim de jure positivo humano.

2. Quæ remedia cuique peccato adhibenda sint, quæ cognosci possunt, tum ex Polanco in directorio pag. - - - - tum ex Costero lib. 2. suarum Christianarum Institutionum. Omnia porro remedia eò tendere debent, ut peccatum præteritum curetur, & ut futurum imposterum caveatur.

ARTICULUS. III.

De iis quæ debet Sacerdos scire tanquam Doctor.

Tanquam *Doctor*, *quinq;* præcipuè *scire debet* Confessarius.

1. *De Sacramentis*. Quid sint, quæ materia, quæ forma, Minister & effectus eorundem, ut suprà.

2. In particulari. *De Poenitentia*, & ejus partibus. Ut Contritione, Confessione, Satisfactione, & absolutione multò plura, quàm de reliquis. Ut suprà.

3. *De Matrimonio*. Impedimenta dirimentia, tum non dirimentia, pag. 85. & seq.

4. *De*

4. De *Usuris* & nonnullis *contractibus*. Ut Emptione, Venditione, Censu, Cambio, Societate. De quibus in altera Parte hujus opusculi fusius tractamus.

5. De *Simonia* propter Ecclesiasticos. De qua require similiter alteram Partem.

CAPUT III.

De Prudentia.

Quod *ad tertiam conditionem*, quæ est *Prudentia*: Hæc est posita tum erga Poenitentem, tum erga Seipsum.

I. *Erga Poenitentem* debet esse *Prudens* præcipuè in sex.

1. *In Examine faciendo.* Ut scilicet roget verisimilia secundum cujuscunque statum; Ne doceat simpliciores ignota peccata; Ne si ex habitu, & professione statum agnoscat, roget de circumstantiis, ut sit Virgo vel Monialis, ne pudefiat & fortè mentiatur.

2. *In monendo incautè Poenitentem*, si prævideat eum declaraturum complicem sine necessitate.

3. *In relinquendo illum in sua bona fide*, quando ex manifestatione, putat se ni-

hil profuturum, ut in impedimento Matrimonii.

4. *In confirmando se opinioni probabili in praxi ipsius poenitentis*, absolvendo illum: si juxta ejusmodi opinionem absolvi potest. Non ita si spontè petat consilium.

5. *In applicandis mediis* accommodatis Pœnitenti, quæ ad duo dirigi debent. 1. *Ad dolorem maximum* peccatorum ex parte DEI offensi Summi Boni, Optimi Creatoris, Redemptoris, Benefactoris, &c. 2. *Ad propositum* non peccandi de cætero, tollendo causas peccati, ut malam societatem, frequentationem talis boni, proponendo periculum mortis repentinæ, gravitatem ingratitudinis in recidivo, & similia.

6. *In imponenda* salutari *Poenitentia* quæ debet esse *accommodata* peccatis, & pœnitenti, sed magis pœnitenti. Declarando quanta deberetur ejus peccatis, & cohortando ad majorem.

II. *Erga Seipsum prudens* esse debet.

1. *In exquirendis* cautè *circumstantiis* sexti Præcepti, præparatoriis ad actum consummatum omissis minutis non necessariis, ne in se, vel pœnitente excitet aliquam tentationem.

2. *In vitando mutuo aspectu* pœnitentis; præsertim si puer sit vel fœmina & nisi tabula interjecta sit, manus certè cum linteolo intercedat.

3. *In agendo rigidius cum foeminis*, resecando superfluas narrationes.

Quæres quâ prudentiâ agendum sit *cum recidivis*.

Respondeo & dico. 1. Confessarios *non* debere esse admodùm *difficiles in iis absolvendis*; tum quia in iis ut plurimùm non adest nisi remota occasio: tum quia non minùs tenetur quisque vitare omnia mortalia, quàm singula, & tamen si quis semper in aliquid mortale incidat facilè solet absolvi; tum quia propter hos pœnitentia est quædam medicina, & alioqui Matth. 18. interroganti Petro, di-

ctum fuit non septies; sed septuagies septies ignoscendum esse fratri peccanti.

Dico 2. *Quòd aliquando differri posset absolutio*, quando probabiliter dubitaretur de necessario proposito; quando autem adest verus dolor, & efficax propositum semper absolvi potest.

Dico 3. *Remedia* duplicia esse. *Quædam* enim sunt, quæ juvant ne quis reincidat, *quædam* postquam incidit, ne sæpius relabatur. (*a*) *Ante lapsum* duo prosunt. 1. *Oratio* aliqua brevis ut *DEUS in Adjutorium, &c.* Vel illa. Cor mundum crea in me DEus. Vel illa. Fiat Domine cor meum immaculatum: Solet enim hæc reincidentia maximè contingere in peccatis carnis, ut mollitie fortè enim ex tali oratione DEus miserebitur, & auxilium efficax concedet. 2. *Applicatio mentis* ad aliquid, quòd pœnitentem retrahere possit à peccato, ut consideratio Mortis; Inferni, Paradisi, Beneficiorum DEI &c. juxta propensionem

(*a*) Henriquez lib. 1. de Pœnitentia c. 24. §. 4. in annotatione literæ L,

nem pœnitentis. Aliqui enim magis moventur pœnis, quàm beneficiis. Sic etiam aſpectus alicujus imaginis, ut Crucifixi, Chriſti alligati ad columnam, mortui, vel moribundi, vel denique alterius rei efficacis ad id. *Deniq; admotio alicujus rei*, quæ dolorem inferat carni, ut digiti ad candelam accenſam, acûs ad carnem, cilicina veſtis, verbera, &c. hujuſmodi.

Poſt lapſum autem hæc juvant. 1. *Recitatio* Pſal. *Miſerere* flexis, vel etiam nudis genibus. 2. *Deoſculatio* terræ quinquies vel pluries. 3. *Jejunium* in ſequenti die, vel aquæ potus in ſequenti menſa. 4. *Flagellatio* vel Caſtigatio, Cilicii uſus ſequenti hora, vel veſpere. 5. *Eleemoſyna* aliqua. Denique ut ſaltem poſt tertiam vicem *redeat ad Confeſſionem.*

Dico 4. Hæc remedia omnia, vel eorum aliqua proponenda eſſe pœnitenti, ut ipſe ſpontè aſſumat, aliquid tanquam neceſſarium. Verè enim ipſe tenetur ad aliquid ex iis aſſumendum, non tamen

men imponenda sunt à Confessario ex obligatione; nisi habito priùs suaviter consensu pœnitentis; alioqui ferè potius obsunt; quàm prosunt. Et hæc de tertia Conditione.

CAPUT IV.

De Bonitate Sacerdotis.

QUoad 4. Conditionem quæ est bonitas, hæc enim est necessaria ad valorem Sacramenti, nisi per bonitatem accipiatur ipsa fidelitas, id est intentio conferendi Sacramentum, tunc enim esset necessaria etiam ad valorem.

Ad *rectum* autem *modum* illud ministrandi, necessaria est aliqua bonitas, id est dispositio debita, ut nimirum *sit in gratia*, vel præviâ confessione si agnoscat in se culpam mortalem, vel media contritione saltem existimata.

Ad hanc autem pertinet solutio trium difficultatum.

1. Difficultas. *An* Confessarius teneatur

trimonia. *Trid. Sess. 24. c. 9. de reformat Matrim. & 25. c. 18. de Regul. in 6.*

9. Procurantes abortum fœtûs animati. Sixtus V. *in Bulla. Effrenatam, cum moderatione, Gregorii XIV. Sedes Apostolica.*

10. Pro Ecclesiasticis alienantes bona Ecclesiastica, vel ultra triennium hypotechantes; *extravag. Ambitiosæ de rebus Ecclesiasticis non alienandis.*

11. Pro iisdem audientes medicinam, aut leges si sint Sacerdotes, vel habentes personatum &c. c. *Super specula* ne *Clerici* vel Monachi.

12. Pro personis publicis, facientes statuta contra libertatem Ecclesiasticam. c. *Noverit de sententia excom.*

13. Pro iisdem. Non adjuvantes Episcopos in clausura Monialium. *Trid. Sess. 25. c. 5. de regul.*

14. Pro iisdem. Doctores, & Professores cujuscunque facultatis, non facientes Professionem fidei in manibus Ordinarii. *Pius* IV. *Bulla* 112.

Quæ verò ſunt reſervatæ Papæ extra Bullam Cœnæ ſunt ferè 62. Præcipuæ ſunt ferè 7.

1. PercuſſoresClericorum,Mandantes &c. c. Si quis ſuadente 17. q. 4.

2. Violantes Interdictum Sedis Apoſtolicæ. *Extravag.* & ſi Dominici de pœnit. & remisſione.

3. Simoniaci in Ordine, vel Beneficio, Item Simoniaci confidentiales. *Extravag. cum deteſtabile de Simon.* Pius V. Intolerabilis n. 87.

4. Committentes duellum, conſulentes, fautores, &c. Diffidentes &c. *Pius* IV. *n.* 25. *Greg.* 13. & *Clemens* VIII.

5. Dantes, vel accipientes per gratiam, vel juſtitiam apud Sedem Apoſtolicam. *Gregorius* XIII. *n.* 28.

6. Mulieres ingredientes Monaſteria Monialium, vel Monachorum *Greg.* XIII. *n.* 75.

7. Extrahentes victualia.

Deni-

Deinde interroget circa 10. Præcepta hoc ordine.

Circa I. Præceptum Interrogationes quinque.

1. *Circa fidem.* De providentia. DEI præcipuè animæ immortalitate.

Vita futura, an sciat necessaria ad salutem pro rudibus.

2. *Circa spem.* An desperaverit, præsumpserit, tentârit DEum, spem totam in creatura posuerit.

3. *Circa Charitatem.* An odio DEum habuerit ob legem datam, vel pœnam inferni positam, mortem, &c.

An amârit ratione debita, tempore debito: in periculo tentationis, usu Sacramentorum.

4. *Circa Religionem.* An oraverit aliquando, præcipuè occasione mortis spiritualis, vel necessitatibus proximi.

An officium recitaverit si est Sacerdos Beneficiarius, &c.

5. *Circa Vitia opposita Religioni.* An fidem

fidem præstiterit chartulis, superstitionibus, vanis observantiis.

An commiserit sacrilegium in personis, rebus, locis sacris &c.

An iis usus fuerit ad malum vel bonum finem ubi de maleficio. &c.

Circa 2. Præceptum Interrogationes 3.

Prima de Blasphemia. An blasphemaverit DEUM, B. Virginem, Sanctos, Creaturas tribuendo quod non habent, vel auferendo quod habent, vel tribuendo Creaturæ quod est DEI proprium, vel imprecando DEO aliquod malum, vel nominando membra turpia.

Secunda. De Juramento. 1. *De Veritate juramenti.* An mendacium & juramentum protulerit.

2. *De Justitia.* An promiserit facere quod malum est, vel non facere quod bonum.

3. *De Judicio.* An indiscretè, & sine ulla causa juraverit.

4. *Quâ de re?* An tardus in eo adimplendo fuerit.

neatur *admonere poenitentem* de ſtatu, qui eſt ex ſe malus. ut ſi retineat rem alienam, vel ſi habeat impedimentum irritans Matrimonium, &c. Pœnitens autem exiſtimat bona fide vel rem eſſe ſuam, vel Matrimonium validum eſſe.

Reſpondeo 1. *Si ignorantia eſſet vincibilis* teneretur admonere ſecundum omnes.

2. *Si eſt invincibilis*, non debet unquam mentiri, aut confirmare pœnitentem in ſuo errore: Si item ab eo interrogaretur ex aliqua dubitatione, debet reſpondere ſecundùm veritatem, quantum ſatis eſt pro interrogatione.

3. *Tacere veritatem poteſt* quando non adeſt ſpes probabilis fructûs, aut timetur ſcandalum, aut grave incommodum pœnitentis: correctio enim fraterna non obligat, quando non eſt ſpes, vel cum tanto periculo. Quando autem ſperaretur fructus abſque ſcandalo vel gravi incommodo pœnitentis, tunc teneretur tam ratione officii, quàm ratione correctionis fraternæ.

2. Diſ-

2. Difficultas, an quando adest *varietas opinionum* possit, ac debeat Confessarius sequi opinionem probabilem pœnitentis.

Respondeo 1. Quando Confessarius judicat pœnitentem non esse rectè dispositum ad absolutionem, tenetur sub mortali non absolvere: contra verò quando agnoscit illum esse dispositum, non potest illi absolutionem denegare: esto non esset proprius Pastor; Quamvis enim ille qui non est proprius Pastor, antequam pœnitentem audiat, possit non ministrare illi pœnitentiam; attamen postquam eum audivit, tenetur, si tamen dignum invenit, absolvere; alioqui injuriam magnam inferret pœnitenti obligando illum ad repetendam Confessionem eorundem peccatorum.

Respondeo 2. Esto sint hac de re opiniones, communior tamen, & probabilior est, *posse* & *debere* Confessarium *sequi opinionem* in praxi probabilem ipsiusmet *pœnitentis*. Quia pœnitens eam

sequen-

ſequendo non peccat : & eſt rectè diſpoſitus, & hoc totum conſtat Confeſſario, ergo tenetur illum abſolvere à prima reſponſione, quod verum eſt tam de Confeſſario proprio, quàm non proprio, ſic enim eſſe tenetur abſolvere pœnitentem debitè diſpoſitum ; ut dictum eſt.

3. Difficultas. *Quid* teneatur *agere* Confeſſor, *quando malè* aliquem abſolvit ?

Reſpondeo duplici de cauſa poſſe ipſum *malè abſolviſſe*. 1. Quia invalidè. 2. Quia cum peccato ſed validè.

Potuit autem eſſe *invalida* vel *quia* non *habuit intentionem*, vel *quia non habebat juriſdictionem* ; vel quia agnoſcens pœnitentem culpabiliter *non* eſſe *diſpoſitum*, ipſe tamen ob timorem videlicet, vel verecundiam, ne pœnitens offenderetur, illum abſolvit. *Mala* autem etiam eſſe potuit, tum à peccato, vel quia non quæſivit de circumſtantia neceſſaria ex negligentia culpabili, vel quia non obligavit ad reſtitutionem,

vel

vel non admonuit, cùm posset, & deberet, vel quia reliquit in occasione proxima peccandi.

His ergo positis. Dicendum 1. est. Quando fuit nulla absolutio, & pœnitens *non propterea incurrit extremam necessitatem*; Si non potest eum revocare, vel non nisi cum scandalo ipsius, aut infamia propria, satis est Confessarium dolere de culpa commissa & commendare pœnitentem DEO, quia in sequente Confessione quam faciet absolvetur indirectè etiam à peccatis antea confessis, quorum putat bona fide recepisse se absolutionem.

Quando autem Pœnitens propterea *fieret in extrema necessitate*. Puto Confessarium obligatum iri, etiam cum proprio aliquo dedecore, & incommodo, cui præferenda esset salus animæ pœnitentis; secùs si nulla ratione eum posset revocare.

Dico 2. Quando fuit *tantùm cum peccato* regulariter ad nihil aliud teneri præterquam ad dolorem de peccato

facto,

facto: quando autem esset ejusmodi defectus conjunctus *cum damno*, vel præjudicio *tertii* ut quia pœnitens retinebat alienum, tum teneri Sacerdotem eum revocare, & admonere, quando positivè contrarium dixisset, nempè eum non teneri ad restituendum: quando autem tantùm tacuisset non teneretur, (a) Hæc de 4. conditione.

CAPUT V.

De servando Sigillo, in hoc Sacramento.

QUoad 5. *De cura in servando Sigillo, quatuor* præcipuè de ea cognoscenda sunt.

1. Ex qua Confessione oriatur obligatio Sigilli, & dico, *oriri ex Confessione Sacramentali* perfecta, vel inchoata, facta Sacerdoti vero, vel ita existimato.

Dixi Sacramentali, quia ex illa, quæ fieret Laico scienter, vel non Sacerdoti, etiamsi ex devotione, vel humilitate,

(a) Suar. tom. 4. disp. 32. sect. 6. n. 9.

te, ut in periculo mortis, non oriretur hæc obligatio. Item ex ea, quæ fieret Sacerdoti quidem, ſed non animo ſe accuſandi, ſed potiùs animo decipiendi, vel inducendi ad peccatum, ut ad conjurationem, vel fornicationem &c. non oriretur hæc obligatio.

Dixi *perfecta, vel inchoata*, quia ex hac etiam oriretur obligatio, talis eſſet ea, quæ fieret Sacerdoti, qui deinde dignoſceretur non habere juriſdictionem, vel non animo recipiendi abſolutionem, ſed tantùm ſe accuſandi in illo foro, & ſatisfaciendi præcepto.

Item ea, quæ fit Superiori, à quo per ſe, vel per Confeſſarium petit Pœnitens abſolutionem à caſu reſervato, & aliis hujuſmodi.

Dixi *Sacerdoti vero, vel ita exiſtimato*, ad includendam eam Confeſſionem, quæ fieret Sacerdoti, qui fingeret ſe Sacerdotem, cùm tamen re vera non eſſet. Verùm hoc eſt dictum probabiliter: ex aliquorum enim ſententia oriretur eadem obligatio; ex aliorum ſenten-

tentia non esset eadem; quia non adest verum Sacramentum in ea Confessione, obligatio tamen est secreti.

2. Cognoscendum est quænam sit *materia Sigilli.* Dico esse *quinq;*

1. Peccata omnia mortalia, & venialia in Confessione audita.

2. Omnes *Circumstantias*, & objecta peccatorum; integrant enim hæc ipsum peccatum.

3. Alia *omnia*, quæ dicuntur *ad declarandum peccatum*, vel circumstantias ipsius.

4. Ipsa *peccata publica* quatenùs in Confessione audita sunt, dicuntur materia sigilli. Semper enim fieret injuria Sacramento quod redderetur onerosum.

5. Hæc omnia intelligenda sunt esse materiam Sigilli, sed relata ad personam, & peccatorem, ita ut debeant servari, sub Sigillo ne detegatur Persona, & Peccator, alioqui ipsa peccata per se referri possunt, modò fiat cum prudentia ne quoquo pacto possit agnosci poenitens.

Ex his ſequitur non pertinere ad Sigillum dicere talem ſibi eſſe confeſſum vel habere peccata venialia in genere, non exprimendo aliquid in particulari. Sæpe tamen Pœnitens non vult ſciri quòd ſit confeſſus.

3. Cognoſcendum eſt quæ perſonæ obligentur ad hoc Sigillum.

Reſpondeo obligari *quinq;* perſonas.

1. Eſt Confeſſarius ad quem reduco Superiorem quando ab eo petitur caſûs reſervati licentia.

2. Interpres, quia participat ſuo modo actum clavium.

3. Conſiliarius, quem de licentia Pœnitentis conſulit Confeſſarius, vel præſentem, vel poſt confesſionem.

4. Is qui furtivè audit Confesſionem alterius, ut etiam caſu tenetur ſub eadem ſigilli obligatione.

5. Eſt is, cui Confeſſor Sacrilegus revelavit peccatum alterius auditum in Confesſione: tenetur enim etiam is ſub eodem ſigillo. Unde eſt regula generalis, *omnis notitia habita ex Confeſſione*

ſive

sive mediatè, sive immediatè transit ad quemcunque sub eodem onere, & manet sub sigillo.
Cum pœnitente autem ipso non potest Confessarius loqui nisi de ejus licentia.

4. Quâ ratione servandum sit hujusmodi sigillum.

Respondeo esse *servandum.*

1. Tam *directè*, quàm *indirectè*. Unde non potest Confessarius dicere se talem non absolvisse. Dicat semper, *ego feci officium meum.* Item non laudet aliquem ex multis.

2. Est servandum *tam verbis, quàm signis*, aut *factis*. Unde Sacerdos non potest publicè negare Eucharistiam, vel Matrimonium ex scientia habita solùm in Confessione. Item Sacerdos qui novit aliquem excommunicatum ex Confessione, non potest illi negare Eucharistiam, nec etiam privatim. Potest quidem sub alio prætextu, sed si aliter effugere non posset, quàm significando notitiam ex Confessione, potiùs

debet

debet illi conferre Sacramentum, quàm non servare sigillum.

3. Est servandum *in ordine ad quamcunq; interrogationem*, quæ fieri possit, sive extra judicium, sive in judicio. Nulla enim potest esse juridica, & consequenter potest semper Sacerdos æquivocare, ac respondere juxta mentem suam. Non autem secundùm mentem interrogantis.

Atque hæc satis de Conditionibus in Confessario requisitis.

INTERROGATORIUM.

Pro Confessionibus longioris temporis.

I. *Interròget tria.*

1. *Tempus ultimæ Confessionis*, & an impleverit pœnitentiam.

2. *Statum poenitentis*, an conjugatus, vel solutus, Mercator, Miles, Officialis &c.

3. *Dispositionem*, an paratus veniat &c. Cætera verò in progressu Confessionis.

Dein-

Tertia de Voto. An promiſerit quod non eſt bonum, an fregerit & quoties.

Videat an poſſit commutare, diſpenſare, &c.

Circa 3. Præceptum Interrogationes quatuor.

1. *De Miſſa in feſtis.* An totam, vel notabilem partem omiſerit ſine cauſa, vel cum magna diſtractione confabulatus ſit.

2. *De opere ſervili.* Vel alio prohibito in feſtis per tempus notabile. An ipſe id egerit, vel aliis fuit cauſa, ut id agerent.

3. *De Jejunio* in Quadrageſima, Vigiliis, &c. Confeſſione annua: Communione in Paſchate, & ſolutione decimarum.

4. De Communicatione cum excommunicato non tolerato, vel an ipſe excommunicatus participârit in divinis.

Circa 4. Præceptum 3. Interrogationes.

Prima. De dilectione proximi generali-

ter, & de ſignis communibus erga inimicos, remisſione injuriæ, & pace petita.

3. De Beneficentia corporali,ut eleemoſyna in necesſitate extrema, vel gravi, & de ſuperfluis ratione ſtatûs.

3. De Beneficentia ſpirituali, ut correctione fraterna de peccato mortali, quando eſt ſpes emendationis, opportunitas perſonæ & temporis.

Secunda. *De obligatione filiorum erga parentes.*

1. In Dilectione, etiam externa, ſubventione in necesſitate, impletione Teſtamenti, & legatorum.

2. In reverentia. An maledixerint, percuſſerint, optârint mortem &c.

3 In obedientia in rebus pertinentibus ad gubernationem domûs, ad bonos mores, & ſalutem animæ & è contra.

Tertia. *De obligatione Parentum erga filios;* tum in cura, ut ſciant res neceſſa-

cessarias; tum quoad mores, permittendo eos malè vivere, vel præbendo eis malum exemplum.

Quarta. *De obligatione Viri respectu uxoris* in non afficiendo illam injuriis, non percutiendo, non negando debitum &c.

Et è contra, *Uxoris respectu Viri.* In obedientia: in spectantibus ad bonos mores & gubernationem familiæ, in redditione debiti modo dicto, fecerit-ne suâ morositate, & rixis blasphemare, & maledicere virum suum.

Circa 5. Præceptum quinq; Interrogationes.

1. Si optavit sibi, aut aliis mortem, vulnera, infamiam, grave malum, vel gavisus est de morte Patris, fratris propter hæreditatem, vel ex invidia, odio &c. si morte delectatus est de vindicta, vel doluit de aliorum prosperitate.

2. Si protulit minas, contumelias, ex ira, vel convitia.

3. Si occidit injustè, mutilavit, vulneravit, torsit. Mater si oppresit infantem in lecto, vel fuit causa abortûs.

4. Si ad aliquid supradictorum cooperatus est novem illis modis de quibus in versibus. *Jussio, Consilium, Consensus.*

5. Si fuerit aliquo scandalo causa mortis spiritualis, inducendo ad peccatum vel publicè peccando.

Circa 6. Praeceptum 6. Interrogationes.

1. Si habuit turpes cogitationes cum consensu: si morosè delectatus: si verba inhonesta, aspectus, tactus libidinosi intercesserunt, & cum quo, vel cum qua.

2. Si cognoverit fœminam. An soluta, Virgo, Conjugata, Consangvinea, Sacra, si in vase naturali, an extra vas.

3. Si contra naturam per mollitiem, sodomiam, bestialitatem, impudicitiam. An pollutionem voluntariam passus fuerit in vigilia, & de qua persona cogitaverit.

4. An

4. An pervenerit ad verba, literas, munera, tactus, si ornatu, musica, & aliis ob malum finem placendi, & provocandi ad peccatum usus sit.

5. Si lectione librorum impudicorum se provocavit, optavit ab aliis concupisci, jactavit se de hujusmodi peccatis, &c.

6. A Conjugato si petivit debitum cum impedimento affinitatis, Cognationis spiritualis, Voti Castitatis, periculi abortûs, vel effundendi semen extra vas.

Circa 7. Præceptum 5. Interrogationes.

1. De *furto* in notabili quantitate, etiam à propriis parentibus de damno illato. An jussus in alia confessione restituit. Hic de bonis naufragantium, & latrocinio maritimo.

2. *De fraudibus* in emptione, & venditione circa rem, pretium, pondus, mensuram, numerum: Si emit rem alienam scienter.

3. *De Usuris* in Mutuo, in emptione, anticipata, vel dilata solutione, *in cambiis*, societatibus, censibus:

4. *De fraudibus* in Ludo, an cum personis habilibus, inæqualibus quoad artem, inductis importunis precibus, aut minis.

5. *De animo furandi aliena*, retinendi cum damno Domini, concupiscentia variarum rerum alienarum, de cooperatione modis dictis.

Circa 8. Præceptum 6. Interrogationes.

1. *De injuriis* extra judicium: id est de Mendacio pernicioso; Detractione.

2. *Vel mentiendo*, vel dicendo verum occultum, quod infamet; vel ex loquacitate infamando, vel referendo aliorum mala animo infamandi; vel audiendo, & cooperando infamationi.

3. *De secreto revelato*, absque justa causa, Aperitione literarum.

4. *De susurratione* seminando discordias, irrisiones, animo confundendi.

5. De

5. *De Maledictione*, animo ut grave malum eveniat, Judicio temerario, & suspicione.

6. *De injuriis in judicio*; ex parte Judicis, Accusatoris, Rei, Testis, Advocati, Procuratoris.

Circa 9. Praeceptum 5. Interrogationes.

1. *De Superbia.* An putavit se habere bona vel à DEO ex propriis meritis, vel tribuit, quæ non habet, vel alios contempsit inordinatè.

2. *De vana Gloria*, quando optatur, vel quæritur de re mala, aut malis artibus, aut relata ad malum finem.

3. *De Inobedientia & ambitione.*

4. *De Gula*; an per eam violatum sit præceptum, vel ea quæsita sit cum notabili damno salutis propriæ, vel proximi, vel propter eam debita non solvantur.

5. Reliqua reducta sunt ad præcepta ut *Avaritia* ad 4. *Luxuria.* ad 6. *Ira* & *Invidia* ad 5. *Acedia* non est communi-

ter peccatum mortale, nisi quando ob eam violatur præceptum sub mortali. Vel desperat quis pervenire ad ultimum finem Quæri potest in fine.

Circa 10. Præceptum quinq; Interrogationes.

1. An sciat necessaria & obligationes proprii statûs.

2. An quid aliud memoriæ se offerat gravans conscientiam.

3. An doleat generaliter de offensis in custodia quinque sensuum, trium potentiarum, operum misericordiæ.

4. De ingratitudine in reddendis gratiis pro beneficiis. In recidendo peccata: de periculo peccandi, cui sæpe se exposuit, de dubiis quæ habuit an quid esset peccatum, & tamen operatus est cum illis.

5. Accuset se de omni alia re, in qua DEUM offendisset, vel fuisset causa ut alter offendisset.

LAUS OMNIPOTENTI DEO MATRIQUE VIRGINI MARIÆ.

DECRETA
à
SACRA RITUUM CONGREGATIONE,
In Ordine ad Missam, & Divinum Officium, post Mislalis, ac Breviarii Romani recognitionem, condita:

Ex Commentariis in Rubricas ejusdem Missalis, ac Breviarii,

à

BARTHOLOMÆO GAVANTO, Editis in secunda Editione Rom. recognitis, & locupletatis, fideliter excerpta.

POtest celebrari Missa pro Defunctis ritu de *Requiem*, in Dominicis, & Festis insepulto, & in Ecclesia præsente corpore: Sic decrevit *Sacra* Rit. *Congregatio die* 23. *Maij.* 1603.

Ubi nimirum viget consvetudo sepeliendi defunctos simul cum Missa. Si quis autem moriatur in die Paschæ, corpus ejus reservetur in sequentem diem, ob reverentiam Paschæ: ex Rituali Romano Pauli V.

2. Si terminatur Processio Litaniarum Majorum ad Ecclesiam S. Marci, cantatur ibi Missa de S. Marco; *eadem Sac. Congregatio die 23. Maii. 1603.*

3. Cineres, qui imponuntur capitibus fidelium, debent esse aridi; non in modum luti sunt distribuendi *die 23. Maii.* 1603.

4. In Canone nomine Antistitis non sunt nominandi Superiores Regularium: *die 1. Novembris.* 1605. *Nec inferiores Episcopo.*

5. Missa de Annuntiatione B. Virginis non est celebranda à fer. 5. majoris hebdomadæ usque ad fer. 3. Paschæ inclusivè: *die 9. Maii.* 1606.

6. Gloria in excelsis cum Credo omittitur in votivis pro re gravi, quando dicuntur cum paramentis viol. *die 19. Maii.* 1607.

Ret

Res autem gravis ea est, pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo, ut eadem Sac. Rit. Congregatio decrevit eadem die.

7. Cereus Paschalis regulariter accendi debet, ad Missas, & Vesperas solemnes in triduo Paschatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis usq; ad Ascens. in aliis servanda est consuetudo locorum: *die* 19. *Maii.* 1607.

8. Tolerari possunt Missæ de Requiem in festo duplici, quod non est de præcepto, pro voluntate Testatorum implenda: *die* 1. *septemb.* 1607.

Non ait ad arbitrium vivorum, quod benè nota; sed pro implenda lege Defunctorum.

9. In Altari privati Oratorii, cui conceditur ex privilegio Apostolico celebratio Missæ (exceptis solemnioribus festis) non potest in eo celebrari in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Pentecoste, Annunciatione, Assumptione B. V. Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & Omnium Sanctorum: *die* 17. *Novembr.* 1607.

10. Com-

10. Communio Cleri facienda est in Cœna Domini: *Die 27. Decembris* 1608.

11. Missæ defunctorum certo die dicendæ, eo impedito transferuntur in sequentem: *die 27. Septembris* 1608.

12. Sabbato Sancto non sunt pulsandæ campanæ ante Cathedralis, seu Matricis signum: *die 21. Martii* 1609. Neque in Diœcesi ante Parochialis signum: 9. *Februarii* 1608.

13. Abbates & alii Superiores Regularium non possunt benedicere paramenta Ecclesiarum non sibi subditarum: *die 24. Augusti* 1609. Neque Protonotarii: *die 17. Julii* 1627. Neque valet consuetudo Abbatum abrogata, *die* 18. *Augusti* 1629.

14. Tenentur Canonici ad cantandam Missam de die, ut lucrentur distributiones: *die 25. Junii* 1611. & 28. *Januarii* 1612.

15. Neque ob Missam votivam, seu pro Defunctis potest omitti Missa conventualis de die: 16. *Januarii* 1627. abroga-

rogavit Congregatio omnem contrariam consuetudinem: 12. *Julij* 1628.

16. Diaconus non debet dare pacem laicis, neque Domino loci: *die* 5. *Julii* 1614.

17. Regulares debent Crucem ferre in processionibus cum velo, seu panno: 14. *Januarii* 1617.

18. Non deferatur Tabernaculum Sanctiss. Eucharistiæ Sacerdotum humeris, sed manibus tantùm celebrantis non obstante quavis contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit *Sac. Rit. Congreg.* 2. *Junii* 1618.

19. In Oratione *A cunctis*, nomina Patronorum S. Michaelis, vel S. Joannis Baptistæ præponi debent Apostolis: *die* 22. *Augusti.* 1620.

20. In Parasceve si incidat Festum Annunciationis B. Virginis, non tenentur fideles ad Missam audiendam: *die* 19. *Februarii* 1622.

Nec in eadem die distribuenda est Eucharistia aliis, quàm infirmis: eadem Sac. Congregat. eadem die.

21. Mis-

21. Missa Rosarii prohibita fuit, concessa tantùm Ordini Dominicanorum 25. *Junii* 1622.

Ubi verò adest Capella, seu Altare Rosarii; In festo Sacratissimi Rosarii, ex Decreto Gregorii XIII. *in prima Domin. Octobris in Calendas vel post Calendas ejusdem Octobris, celebrando; Officium, & Missa celebrari possunt ut in festo* S. *Mariæ ad Nives, quod observatur in Æde Lauretana, velut in Nativitate B. V. mutato nomine in Festivitatis, quod fit Bononiæ; sed illud prius magis placet cum lectione* 2. *Noct. de Nativitate.*

22. Missæ certis Regularibus concessæ, non possunt ab aliis dici, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis: 19. *Novembris* 1622.

23. Usus annuli in Missa prohibetur Protonotariis non participantibus, & quibuscunque aliis Doctoribus: *die* 11. *Februarii* 1623. Item & Canonicis Cathedralium fuit prohibitus: *die* 20. *Novembris* 1628.

24. Vicario Generali celebrante, licet sit Protonotarius, non debent accendi

cendi quatuor candelæ, neque duo Capellani ministrare : 7. *Augusti* 1612.

25. Neque debent poni paramenta in altari, nisi pro Episcopis : 7. *Iulii* 1612.

26. Qui habet onus celebrandi Missam de Rosario (exceptis Dominicanis) possunt aliam dicere de B. Virgine : *die Maii.* 1623.

27. In Festo Stigmatum S. Francisci, color albus adhibetur : *die* 9. *Decembris.* 1623.

28. Usus pileoli in Missa etiam extra Canonem, concedi debet à Papa, & non ab alio.

Congregatio Cardinalium super negotia Episcoporum, 2. Januarii 1590. *&* 17. Januarii 1595. *concessit extra Canonem, usum pileoli, Episcopo Faventino ; & respondit Archiepiscopo Urbinati, eo non posse uti sine licentia Sedis Apostolicæ. Idem postea sensit* Sac. Rit. Congreg. die 31. Januarii 1626. *& Canon ipse prohibet Episcopo velatum caput. Ergo neque secum, neque cum aliis dispensare potest.*

29. Celebrans, qui distribuit Cineres,

res, Candelas, & Palmas, detecto capite distribuat: *die* 18. *Julii* 1626.

30. In Missa feriæ 4. Temporum occurrentis in die Octava Nativitatis B. V. Præfatio ferialis dicitur: *die* 12. *Decembris* 1626.

31. Signum, quod fit cum patena à fronte ad pectus, fit integrè cum signo Crucis: *die* 13. *Martii* 1627.

32. In Altari certis diebus privilegiato, non potest in iis dici Missa de Requiem in festo duplici de præcepto: *die* 24. *Aprilis* 1627.

33. Communicantes, infra Octavam Ascensionis, contingit separari à propria Præfatione 28. *Augusti* 1627. *Casus autem talis esse potest, si occurrat Festum SS. Philippi & Jacobi Apost. infra Octavam Ascensionis; nam Præfatio erit de Apostolis, Communicantes de Ascensione, licet in Missa nulla fiat commemoratio: idq; accidere potest etiam in Inventione Sanctæ Crucis, & in Missis solemnibus votivis, quæ dicuntur infra eandem Octavam, & habent Præfationem propriam.*

34. In

34. In Festis primæ Classis, non dicitur Oratio DEUS *refugium*, jussa dici à Majoribus per annum: *die* 28. *Aug.* 1627. *Accidit enim à Superiore decerni pro publica causa, quotidie dicendam orationem*; Deus refugium, *seu aliam, & tunc dicitur, vel loco tertiæ ad libitum; vel additur uti commemoratio.*

35. In fine Missæ ad quodcunque Altare celebratæ, fit reverentia Cruci, infra gradus, capite semper aperto: *die* 28. *Aug.* 1627. *Rubrica enim generalis, in Missali recognito, p. 2. tit.* 12. *n.* 6. *sic est corrigenda; Quibus omnibus absolutis, extinguuntur per Ministrum candelæ; interim Sacerdos accipit sinistrâ Calicem, dexteram ponens super bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum Altaris, & ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinat, vel, si in eo est Tabernaculum Sanctiss. Sacramenti, genu flectit, & factâ reverentiâ, accipit biretum à Ministro, caput cooperit, &c. Hæc Rub. habetur in recognito Missali, licet fuerit tantùm edita in ultimo Missali Vaticano Anno* 1609. *quam ideo retinendam*

esse

esse omnino decrevit Sac. Rit. Congreg. die, & anno, ut supra.

36. In diebus, quibus prohibetur fieri de festo duplici, non possunt dici Missæ votivæ, neque de Requiem: *die 28. Aug. 1627. Nimirum infra Oct. Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Hebdomada Majori, Fer. 4. Cin. & in Vigiliis Nativ. D. & Pentecostes.*

37. In Parasceve non immittitur particula in Calicem cum signis Crucis consuetis: *die 28. Aug. 1627.*

38. Sæpius decretum est, Episcopos carere facultate delegandi aliis benedictionem paramentorum, & earum rerum, in quibus unctio non adhibetur.

39. Si ob terræ frigiditatem populus veniat ad Ecclesiam tardè pro solemni Missa, decrevit Sac. Rituum Congregatio, præstare, quòd recitetur tardius Hora Tertia, quàm quod canatur Missa de festo post Sextam. *De hoc Decreto testatur Joan. Alcoer. in suo Ceremoniali.*

40. Eodem *Alcoer.* teste, eadem Sacra Congregat. concessit insignioribus

Regu-

Regularium Ecclesiis usum planetarum plicatarum.

41. Eodem teste, eadem decrevit, Celebrantem, & Ministros sedere posse, dum cantantur Epistola, & Graduale.

42. Missas, quæ circumferuntur, à Sacra Rituum Congregatione non approbatas, Sancti Gregorii pro vivis, & Defunctis, XV. Auxiliatorum, & de Patre Æterno, & quascunque alias, exceptis iis, quæ sunt permissæ certis Regularibus tantùm, veluti Rosarii, Sanctæ Mariæ de Carmelo, & alias, sicut etiam Officia ab eadem non approbata, Sac. eadem Congreg. prohibuit, rejecit omninò, & damnavit respectivè, & pro prohibitis, rejectis, & damnatis haberi voluit: 8. *Aprilis* 1628.

43. Declaravit autem novissimè eadem *Sacr.* Rit. Congregatio per hoc Decretum, non prohiberi Missas XXX. pro Defunctis à *D. Gregorio* institutas, *in Dial. c.* 55.

44. Abrogatus fuit abusus deferendi nocte in fer: 6. Parasceve Sanctissimam Eucharistiam, à Sac. Congregatione super negotia Episcoporum: *die* 22. *Martii* 1596.

DECRETA,

Quæ Divinum Officium respiciunt.

COnsecrator Ecclesiæ potest in actu Consecrationis statuere alium diem, pro anniversaria ejusdem consecratione; *die* 10. *Februarii* 1585.

2. Qui sunt de gremio alicujus Ecclesiæ debent recitare officium, quod in Choro dicitur, licet morentur alibi: *die* 8. *Septembris* 1602.

3. Clerici, licet adscripti alicui Ecclesiæ, & ejusdem servitio, non obligati Choro, & quicunq; alii Clerici seculares, Regularesvè in Civitate, vel Diœcesi commorantes, non tenentur recitare officia propria Sanctorum illius Diœcesis, vel

quæ

quæ de consuetudine in eadem Eccl. recitantur in Choro: *die 8. Septembris* 1602.

4. De Sancto, cujus Reliquia insignis habetur, & approbata, fieri potest officium duplex; *die 23. Novemb.* 1602. & 8. *April.* 1628.

5. De Sancto canonizato non potest fieri officium extra propriam Ecclesiam sine novo Decreto. *Sac. Rit. Congregatio* 9. *Decemb.* 1628.

6. Vesperæ Defunctorum pro 1. die mensis dicuntur post Vesp. etiam Dominicæ, seu festi si accidat: 23. *Maii* 1603.

7. Psalmi Graduales, & Pœnitentiales dicuntur licitè ubi est consuetudo, pridie Vesperi feriæ quartæ, & sextæ: *die 2. Augusti* 1603.

8. Non est relinquendum Officium Breviarii debitum pro officio devotionis. 29. *Novembr.* 1603.

9. Dedicationis festum extra actum ejusdem non potest mutari ab Episcopo: *die 16. Octobris* 1604.

10. Si accidat Dedicatio in Nativit. B. V. fiat de eadem Dedicatione, & cantentur

tentur potius duæ Missæ, & infra Octavam fiat de digniori, ut in Rubrica de concurrentia Octav. *die* 16. *Octob.* 1604.

11. Episcopus Regularis debet recitare officium juxtà rit. suæ Diœcesis, non Regulæ: *die* 11. *Jun.* 1605. *Ideò occurrente festo Regulæ in festo Dioecesis, hoc præferri debet.*

12. Capellani Episcopi, qui cum eo recitant officium se conformare debent cum eo; 11. *Iunii* 1605.

13. Festum Patroni loci celebrari potest sine Octava à Regularibus, ut censuit sæpius *Sac. Rituum Congreg.*

14. Non potest Episcopus extendere officium quod fieri solet in civitate, ad Diœcesim: *die* 16. *Januarii* 1607.

15. Officium parvum B. V. debet dici in Choro, etiam in semidupl. & Dominicis, si adsit consuetudo: 1. *Sept.* 1607.

16. Matutinum Defunctorum in die commemorat: Omn. fidel. Defunct. recitandum est mane, & non pridie Vesperi; *die* 1. *Septembris* 1607.

17. Festum, & Officium S. Conradi Pla-

Placentiæ tantùm, & Nettinæ in Sicilia concessa sunt; *die* 19. *Maij.* 1614. & Ordini S. Francisci. 13. *Septemb.* 1625.

18. Nomine festi novem lectionum intelligitur etiam Dominica: *die* 12. *Martii* 1618.

19. Præter propriæ Ecclesiæ Dedicationem celebrari quoq; debet anniversaria Dedicat. Ecclesiæ Cathedralis, in Civitate quidem cum Octava, in Diœcesi sine Octava, *ex Decreto Sac. Rituum Congreg.* 2. *Maij* 1619. *Erit tamen in Dioecesi quoq; primæ Classis festum, instar eorum, quæ transferuntur ultra Octavam, & sine Octava celebrantur; vel uti festum Patroni loci, quod celebrari debet à Regularibus, qui tamen non tenentur ad Octavam celebrandam.*

20. Festum S. Josephi est de præcepto ubique *die* 8. *Maii* 1621.

21. Festum S. Annæ est de præcepto ubique; *die* 23. *Aprilis* 1622. *ex Bullis Gregorii* XV.

22. Si titulus Ecclesiæ est de Cruce; sufficit commemoratio de Cruce, quæ in officio feriali dicitur. 30. *Martii* 1621.

23. Liber

23. Liber Esther aliquando omittitur ob festum Angeli Custodis: *die 9. Novembris* 1622.

24. Vesperæ in Sabbato ante Dominicam privilegiatam, in qua occurrit dies Octava, dicuntur de feria, scilicet Psalmi Sabbati & à Cap. fit de Dominica privilegiata, & in fine fit commemoratio diei Octavæ, ut in I. Vesp. 9. *Novembris* 1622.

25. In fine Completorii Purific. B. V. dicitur AVE REGINA. 27. *Iulii* 1624.

26. Symbolum S. Athanasii laudabiliùs recitatur stando in Choro. 23. *Decembris.* 1624.

27. Officium parvum B. V. in Choro tempore Paschali, dicitur sine addito Alleluja. 28. *Martii* 1626.

28. Litaniæ Majores si occurrant in die Paschatis, transferuntur in fer. 3. sequentem. *die* 25. *Septemb.* 1627.

29. Officium Stigmatum S. Francisci concessit Paulus V. celebrari posse ubique ad libitum Cleri; duplici quidem Offic. in Religione S. Francisci, extrà

eandem

eandem semidupl. ut patet ex prima Editione Rom. & per *Decretum Sac. Rituum Congreg. die 28. Augusti* 1615. *& rursus* 2. *Octobris*. 1627.

30. Non potuerunt, neque possunt locorum Ordinarii tam Regulares, quàm Sæculares addere Calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea duntaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sac. Rituum Congreg. seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur: *die 8. Aprilis* 1628

31. Item eadem Sacra Rituum Congreg. eadem die, & eodem Decreto vetuit, & prohibuit celebrari per totam Civitatem, vel Diœcesim, etiam de cujusque Ordinarii auctoritate Missam, vel festum cum Offic. de Sancto, eò quòd in loco sit Eccl: Abbatialis 28. *Septemb.* 1628. Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia, sed tantùm in ipsius Sancti Ecclesia Titulari, seu ubi asservatur insignis Reliquia, & non alibi.

32. Reliquia insignis est, corpus, caput, brachium, crus, & ea pars, non parva tamen, in qua passus est Martyr, eadem die.

33 Eademque die damnata fuêre officia non approbata à Sede Apostolica sub pœna librorum vetitorum, & non satisfaciendi muneri recitandi divini officii, quæ pœna apposita fuit Decretis. *Supra num.* 30. 31.

34. Moniales, in Confiteor nihil mutent, neque dicant, tibi Mater, vobis Sorores. 13. *Augusti* 1629.

35. Capellani Monialium dicant Missam de Sancto, de quo officium fit à Monialibus, sed cum Missali Romano 20. *Novemb.* 1628.

RU-

RUBRICÆ GENERALES

Seu

CONCLUSIONES,

Et Regulæ nonnullæ ex ex Comment. prædicti P. D. BARTHOLOMÆI GAVANTI, In Rubr. Missalis, & Breviarii Romani, Selectæ in celebratione Missarum, & in persolvendo Divino Officio ab Ecclesiasticis Viris maximè notandæ, & observandæ.

EX COMMENTARIIS IN RUB. MISSALIS.

Quando Rubrica dicit, Quoad fieri potest Missa cum Officio conveniat, loquitur Rub. de privatis Missis: Nam Missa conventualis debet semper concordare cum Officio, *c. Cùm creatura, de celebrat. Missarum.*

2. Missæ votivæ quamvis habeant Præfationem propriam si infra Octav. Nativit. Domini celebrantur, non aliam Præfat: admittunt, nisi de Nativit. sicut & festum S. Joannis Apostoli & Evang. argumento à fortiori.

3. Mutatio colorum in paramentis Altaris, & Ministrorum debet fieri in 1. Vesp. festi. Si autem Vesperæ non sint integræ, is color adhibendus est initio Vesperarum, qui congruit illi, de quo dicitur Capitulum.

4. Si officium, & Missa discordant, color Altaris sequitur Officium, excepta Missa solemni in Vigilia Pentecostes, & in litaniis majoribus & minoribus.

5 Pro Missa quacunque solemni convenit, ut pallium etiam Altaris concordet cum colore paramentorum Missæ, quod adnotavit rectè *P. Ruiz in suo Ceremon.*

6. Canonicus in Missa celebranda non debet uti Almutia; non enim spectat ad vestes Missæ, vel Altaris.

7. Qui

7. Qui Miſſas novas celebrant, non poſſunt circuire Eccleſiam ad oblationem, *ex Decreto Sacr. Congregationis, Trid. Conc. Seſſ.* 22.

8. Quando Miſſa votiva exigitur, v. g. de Aſſumpt. B. V. de Nativ. ejusdem & hujuſmodi, poteſt dici Miſſa votiva de B. Maria, prout in Miſſis votivis cum intentione ad honorem Aſſumpt. Nativ. B. Mariæ, &c.

9. Si dicatur aliqua Miſſa votiva de aliquo Sancto, mutatur in Collecta, *Natalitia*, ſeu *Feſta*, in verbum *Commemorationem*.

10. Orationes, quæ ab Eccleſia certum habent locum, præcedunt quibuscunque votivis, quæ ad arbitrium Sacerdotis dicuntur, & extremum occupant locum, & ſicut votiva, v. g. de Spiritu Sancto cedit Commemorationi feſti ſimplicis, ita cedere debet orationi, *A cunctis*, vel aliis, quæ ſecundo, vel tertio, jubentur dici: Cæteris autem paribus attenditur dignitas eorum, de quibus eſt oratio.

11. Quando cantantur duæ Missæ à Dom. Passionis usque ad Dom. Palmarum, scilicet de fer. & de Sancto semiduplici, tunc in Missa de semiduplici, Oratio secunda erit Ecclesiæ, vel pro Papa, neque dicetur tertia Oratio: *Ita Romæ fit.*

12. Quando occurrit fieri commemorationem alicujus Sancti, v. g. in Officio de B. Maria in Sabbato, tunc in Missa ponitur commemoratio illius Sancti secundo loco, & tertia Oratio dicitur, quæ aliàs secundo loco dicenda erat; & relinquitur, quæ tertio loco dicenda erat nisi fuisset facta commemoratio.

13. *Oratio pro seipso Sacerdote non* debet dici in Missa præsente Episcopo proprio, vel eo majori, vel Principe magno; potiùs est orandum pro *Prælato*, seu pro Principe præsente, ob reverentiam eorundem majorum.

14. Dominica privilegiata occurrens in die Octava duas tantùm habere debet orationes, de Dom. & de Octava.

13. In die Deposit. & Anniverſ. Summi Pontif. pro Cardinalib. & Episc. dicitur prima Miſſa. Pro Sacerdote autem dictis diebus in plerisque Eccleſ. majoribus Romæ, dicitur ſecunda Misſa pro Defunctis mutata Oratione. Si tamen dicatur Miſſa prima, favet Rubrica in fine Miſſarum pro Defunctis, quæ concedit, Epiſt. & Evangelia unius Miſſæ dici poſſe in alia quacunque Miſſa pro Defunctis.

16. Oratio in Tertio, Septimo, & Trigeſimo dicenda, non debet dici in iis diebus, quæ occurrunt inter Tertium, Septimum, & Trigeſimum, ſed tantùm in propriis diebus asſignatis.

17. Orationes extra Miſſam dicuntur ſemper junctis manibus.

18. Quando dicitur Confiteor in principio Miſſæ, non debet addi nomen S. Patroni loci, vel alterius, pro libitu Sacerdotis, quia Pius V. hoc expreſſè conceſſit Eccleſiis Hiſpaniarum, non igitur fieri debet ſine Papæ licentia.

19. Gloria in excelſis in votivis B. M. omninò non dicitur niſi in Sabbato, nec etiam in Eccleſia B. M. Dicitur etiam in Misſis feſtivis de Sancto, licet officium de eo non fiat, in ejus die feſto.

20. Dicto Evangelio, non defertur liber oſculandus Vicario Apoſt. ſed tantummodò illis expresſis in Rubrica Miſſalis: Principibus autem magnis ex tolerantia, non autem inferioribus laicis; Et illis alius liber deferendus eſt, non idem ipſe celebrantis, qui proprium eo caſu ſemper oſculari debet librum: Ita ſtatuit *Sac. Congr. ſuper negotia Epiſcoporum* 22. & 28. *Auguſti* 1589. Neque Commendatario 17. *Sept.* 1611. *Sac. Rit. Congregatio.*

21. Omittens Sacerdos oſculum libri, omittit etiam: *Per Evangelica*, &c.

22. Dari pacem cum Patena in Miſſa prohibuit *Pius* V. *in Epiſt. ad Archiepiſcopum Tarraconenſem.*

EX COMMENTARIIS IN RUB. BREVIARII.

NOn potest fieri mutatio ritûs, ut scilicet duplici ritu celebretur festum, quod aliàs simplici sub ritu: vel semiduplici decretum est. *Pius* enim *V. in Bulla Breviarii*, non modò præcipit substantiam, sed etiam modum, & formam Horarum Canonicarum.

2. De Sancto, cujus Reliquia non insignis habetur, si concedatur officium, debet esse semiduplex, ad differentiam insignis Reliquiæ.

3. Feriale Off. Domini Officium est, quod à quocunque servo non debet obrui: & ideò videant Episcopi, ne pluralitate festorum fiat injuria Officio feriali Domini Dei nostri.

4. Officium Dominicæ est valde venerandum, est enim Off. primarium Domini, & ideò non prætermittendum, nisi ob festum duplex, & dummodo non sint Dominicæ privilegiatæ, ut Adventûs, Quadragesimæ, &c. Et

eſt tam celebre Offic. Dominicæ, quod ſemper de eo ſaltem fit commemoratio, ſi minùs Offic. fieri queat, ob feſtum duplex.

5. Omnes dies Octavæ pro una feſtivitate computantur; & ideò appellat *Radulphus* Octavam, prorogationem feſti, ex quo ſequitur, quòd eò nobilior eſt Octava, quò minùs interrupta eſt à feſtis aliorum.

6. Octava Dedicatio propriæ Eccleſiæ eſt major, quàm Oct. Patroni loci, ſeu tituli Eccleſiæ. Dignior verò eſt Octava B. V. Aſſumptæ, quàm Octava Dedic.

7. Primæ Veſperæ ſecundis ſunt nobiliores.

8. Fit commemoratio de ſemidupl. ante commemorationem diei infrà Oct. quia ſemiduplex eſt feſtum, dies verò infrà Octavam non eſt feſtum, ſed continuatio feſti.

9. Tam de Patrono loci, quàm de Titulari Eccleſiæ, fit Off. ut de duplici primæ Claſſis. Item fit Octava de utro-

que

que & quæcunque dantur duplici primæ Classis, & Octavis, eadem concedenda sunt Patrono principali loci in loco suo, & Titulari in Ecclesia sua.

10. Si Patroni plures, seu Titulares conceduntur: Offic. quidem singulorum duplex erit, ut dicitur *in Rub. de Off. dupl. c.* 1. Sed Octav. non conceditur *ex Rub. Brev. de Octavis n.* 1. nisi festo principalis Patroni, & principalis item Titularis Ecclesiæ; imò neque primæ Classis festum erit, nisi sit solenne principale festum Principalis Patroni, aut Tituli Ecclesiæ, ut apertè habetur *in Rub. de Commemorationibus n.* 3 *&* 4. quale non est Patroni Translatio, nec festa similia.

11. Tanta est solemnitas Patroni loci, ut si incidat in Vigiliam, quæ sit in Calendario, cum jejunio de præcepto nihil in Off. fiat de Vigilia, quæ mœstitiam infert: In mensa tamen jejunandum erit, nisi transferatur in præcedentem diem jejunium ipsum, auctoritate majorum.

12. In Vigilia Patroni omittitur suffragium commune de Patrono, quod fit per annum.

13. Si Translatio alicujus festi fiat à tempore Paschali ad tempus non Paschale, recitandum erit Off. de Tempore non Paschali, quod accidit in Translatione aliquorum Sanctorum Martyrum mense Maii.

14. Si occurrant duo festa, sub una ratione festi, in Calendario Romani Breviarii, quorum tamen alterum est festum Patroni, seu Tituli Eccles. v. g. Festum S. Sebastiani, cui cum S. Fabiano fit ordinariè festum, eo casu fit de Patrono, seu Titulari tantùm, hoc est, de S. Sebastiano solo uti festo primæ Classis, non autem de socio, eo die. Qui verò hac de causa in eorum proprio die omittuntur, vel sunt in Calendario sub ritu duplici, vel semiduplici, & tunc prima die similiter non impedita fit Off. de omissis sub ritu semiduplici, puta in exemplo allato, fiet de S. Fabiano ritu semiduplici post octavam: vel sunt sub

ritu

ritu ſimplici, & tunc in ea Eccleſia nihil fit de ſociis omiſſis. Quod ſi ii, qui dividuntur ſunt altioris Ordinis, & Claſſis, ut in Eccleſia S. Philippi Apoſtoli, de quo ſolo fit idcircò feſtum primæ Claſſis, eo caſu prima die non impedita, fit Off. de Tranſlato S. Jacobo ſub ritu duplici ſecundæ Claſſis, quia eſt de duodecim Apoſtolis, & die 4. Maii in Laudibus tantùm fiet commemoratio cum 9. Lect. S. Monicæ.

5. Porrò prædicta ſeparatione facta Patroni, ſeu Titularis à ſociis, quos illi habent in Calendario Romano, curandum erit, ut Oratio, lectiones, & Evangelium cum Homilia congruant cum feſto, ita ut pro uno, non pro pluribus, Offic. fiat; & deficientibus propriis, erit ad commune Sanctorum recurrendum, reſervata Patrono potiùs oratione, quàm ſociis, & in numero ſingulari accommodata: pro ſociis autem ſumatur de Communi, ut ſit varietas; niſi fortè contingat, de ſociis officium fieri extrà Octavam Patroni,

ſeu

ſeu Tituli quo caſu variandi neceſsitas minimè urget.

16. Titulus Altaris, ſeu Capellæ celebrandus eſt ſub ritu, prout in Calendario Rom. deſcribitur. In quo ſi neque nominatur, ad illud Altare celebrari poterunt Miſſæ feſtivæ, cum Hym. Angelico. Sed Off. nullatenus fiat ſine licentia majorum, ad quos attinet officia mutare.

17. Si Altare titulus eſt beneficii; Beneficiatus adhuc non debet Off. recitare de eo, ut de feſto primæ Claſsis neque alio ritu, quàm in Calendario ſit deſcriptus, & eo ibi ſem non deſcripto, non poteſt propria auctoritate, de eo recitare Off. Si verò titulus eſt Eccleſiæ dirutæ ad illud Altare translatus, ille, qui emolumenta præd. Eccleſiæ percipit, æquum eſt: ut recitet Off. de eo in ejus feſto, ne depereat cultus illius Titularis Eccl. & ritus erit ſemiduplex, niſi dignitas ejusdem aliud expoſcat. Sed in his caſibus conſulatur Sac. Rit. Congregatio.

18. Be-

18. Beneficiatus quilibet habens Ecclesiam, quæ est Tit. beneficii, licet apud eam non resideat, debet tamen festum ejusdem colere, uti primæ Classis, & cum Octava celebrare, quia est festum tituli Ecclesiæ.

19. Vesperæ defunctorum cum Matutinis, & Laudib. debent dici, & persolvi ex præcepto ab iis, qui tenentur recitare Divinum Off. in die Commemor. omnium fidelium Defunct. cùm sit pars Divini Off. eo die præscripti: Et cùm sit pars notabilis, ad restitutionem fructuum tenetur Beneficiatus ad ratam Vesperarum, vel Matutini vel utriusque si totum prætermisit Off. Defunct.

20. Quando fit Off. plurium Confess. sive Pontif. sive non Pontif. datur facultas mutandi verba, tum in Oratione tum in Sermonibus, ut sonent numerum pluralem: Non tamen in Sermone S. Gregorii ex lib. moral. *Deridetur justi simplicitas*: quia non est propriè sermo de Sancto sed tractatus, &

Ex

Exposit. lib. Job. In Antiph. Resp. Hym. & Homil. nulla fit mutatio, licet non quadrent pluribus, quia nimia esset mutatio, & perdifficiiis, ut congruat in omnibus.

RUBRICÆ.

De Missis Votivis, & pro Defunctis: Ex thesauro sacrorum Rituum BARTHOLOMÆI GAVANTI, ad usum & commoditatem Presbyterorum brevis ac facilis instructio.

DE MISSIS VOTIVIS.

Communia Solemnibus, & privatis votivis.

PRimò Psalm: Judica, & Gloria Patri in Introitu, & ad Lavabo dicuntur in omnibus votivis, etiam de Passione, & Cruce, tempore Passionis quia

quia non sunt Missæ de tempore, & discordant ab officio.

2. Gloria in Excelsis nunquam dicitur, nisi in Missa Angelorum & in Missa S. Mariæ in quocunque Sabbato, etiam Adventûs; non extra Sabbatum, licet sit tempus Paschale, vel infra Octavam; neque si Ecclesia, vel Altare sit sub nomine S. Mariæ, nisi adsit speciale privilegium quod Lauretanæ Ædi fuit concessum. De Missa solemni pro re gravi dicemus infra.

3. Orationes plures dicuntur, & secunda de eo semper, de quo fit officium.

4. In votivis de Spiritu Sancto, tertia erit, A *cunctis*, quando ea dici solet pro tempore, non autem de B. Virg. loco illius.

5. In votivis B. Mariæ, tertia erit de Spiritu Sancto, nisi præter Orationem de officio, facienda sit commemoratio de festo simplici, quo casu non est necessaria quarta de Spiritu Sancto.

6. In

6. In votivis de S.S. Apoſtolis Petro & Paulo, quando dicitur, *A cunctis*, ejus loco dicitur oratio de B. Virgine, *Concede nos.*

7. Credo, non dicitur regulariter, neque infra Octavas.

8. Præfatio propria dicitur, ſi adeſt; aliter, vel de tempore, vel de Octava, vel Communis.

9. Infra Octavam Nativitatis Domini dicitur Præfatio de Nativitate, licet votiva Miſſa propriam habeat Præfationem.

10. Communicantes, dicitur, ſi votiva dicitur infra eas Octavas, quæ illud habent.

11. Ultimum Evangelium ſemper eſt S. Joannis, *In principio* &c.

12. Miſſa votiva de Sancto ſumitur de ejusdem Feſto, ſi habet propriam; alioquin de Communi, ſed habita ratione temporis Paſchalis ſeu non Paſchalis.

13. Si exigatur de Aſſumptione, vel alio feſto B. Virginis dicatur miſſa, ut in voti-

votivis pro tempore, cum intentione cultus illius Festivitatis, seu Mysterii.

14. Si item de Rosario, quæ est prohibita (Dominicanis exceptis) dicatur ut in votivis B. Virginis. Si verò ex Testamento Defuncti oriatur obligatio, pro commutatione voluntatis adeatur Sacra Rituum Congregatio, quæ mutare solet in communem votivam. Idem fiet de Missa de Monte Carmelo, & similibus.

15. Introitûs, & Orationum habeatur ratio, ut pro *Natalitia*, & simili verbo, dicatur, *Commemoratio*, & taceantur item incongrua verba, *Hodie*, *Hujus diei*, *Hodiernâ die* &c.

16. Tempore Paschali adduntur in fine Introitûs duo Alleluja, & in fine Offertorii, & Communionis additur Alleluja, ubi non habetur.

17. Prohibitæ sunt ita ut neque retineri queant, Missæ de XV. Auxiliatoribus, de Patre Æterno, de S. Gregorio, pro vivis, sub pœnis Librorum prohibito-

bitorum in Indice Librorum eorundem contentis.

18. Color votivarum est idem, ac Festorum. In Missa de Cruce, rubeus: in Missa de Passione, violaceus.

19. Pro eligendo summo Pontifice, rubeus.

20. Pro Creatione, Coronatione Papæ: Creatione & Consecratione Episcopi, albus.

21. Pro Missis ad tollendum schisma, &c. usque ad Missam, pro iter agentibus, inclusivè, color violaceus.

Propria Votivarum Solemnium.

22. Quando fit de Feria, & non est resumenda Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita, neque anticipanda Missa Dominicæ sequentis, ut in Rubricis dicitur; cantari potest loco Missæ Conventualis de officio, Missa votiva de Trinitate in Fer. 2. De Angelis in Fer. 3. De Apostolis Petro & Paulo Fer. 4. de Spiritu Sancto, vel de SS. Sacramento Fer. 5. De Cruce vel Passione Fer. 6.

Fer. 6. cum Præfationibus in Cantu communi.

23. Excipiuntur Feriæ Adventûs Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum. In his enim prædictæ Missæ non cantantur, loco Conventualis Missæ.

24. In Sabbatis Adventûs (extra Quatuor Tempora & Vigiliam) dici potest Missa principalis de B. Virgine, cum Commemoratione Feriæ, & in ea dicitur, Gloria in Excelsis.

25. Missa votiva solemnis pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa, potest cantari etiam in Dominicis, & Festis non majoribus cantata altera de die in Collegiatis.

26. Res autem gravis est, pro qua convenit Episcopus cum Clero, & Populo. *Sacr. Rituum Congreg. 19. Maij. 1607.*

27. Publica causa dicitur etiam, ob quam oratio fit solemnis 40. Horarum per gyrum, & quando fiunt Comitia Generalia, seu Provincialia Regularium pro electione officialium.

28. Et in his casibus dicuntur Gloria,

ria, unica oratio, Credo, & Præfatio in cantu solemni.

29. Si adhibentur paramenta violacea, non dicitur Gloria, neque Credo. *Sac. Rituum Congreg.* 19. *Maij* neque Præfatio in cantu solemni, sed unica oratio.

30. In Missa solemni pro gratiarum actione, dicuntur duæ tantùm orationes assignatæ in proprio loco.

31. Item duæ assignatæ in Missali cum Missa de Spiritu S. ad postulandam gratiam ejusdem Spiritus S.

32. Si infra Octavam Paschæ contingit cantari Missam votivam, non dicitur Graduale, licet illud dicatur in Missa de Die.

33. Extra casus prædictos num. 22. non potest à Canonicis pro Missa concordante cum officio, seu votiva assignata diei, ut supra, cantari alia votiva diversa ab eo die; quia Canonici tenentur ad cantandam Missam de die, vel quasi de die, eo modo, quo diximus, ut lucrentur distributiones, *ex Decretis Sac. Rituum Congregationis* 25. *Junii* 1611.

28. *Ja-*

28. Januarii 1612. 16. Januarii 1627. 12. Julii 1628. Neque potest introduci consuetudo in contrarium ritum, *ex eadem* 16. *Januarii* 1627. Regulares autem non tenentur ad plures Missas cantandas; quia non sunt Ecclesiæ Collegiatæ, sed Conventuales, ut probat *Gavant: tom.* 1. *part.* 3. *tit.* 11. *num.* 12.

34. Hora cantandi Missam Votivam solemniter, pro re gravi cum Populi frequentia, erit post Nonam.

35. Aliæ Missæ, de quibus *num.* 22. cantantur uti de die, post Sextam.

Propria Votivarum privatarum.

36. Missæ quæcunque votivæ dici possunt quocunque die quæ non est Dominica, neque Duplex; sed ex rationabili causa.

37. Et consequenter dici non possunt in diebus, quibus prohibetur Festum duplex; *ex Decreto Sac. Rituum Congregationis* 28. *Augusti* 1627. hoc est, infra Octavas Epiphaniæ, Paschæ, & Pentecostes, in Vigiliis Nativitatis Domini,

&

& Pentecoftes in Fer. 4. Cinerum & in hebdomada majori.

38. Obligatus his diebus ad miſſas votivas, ſatisfacit, obediendo Rubricis; ſi minus in proximos dies non impeditos transferri queant.

39. Cauſa rationabilis, de qua ſupra, non ea eſt, ut Miſſa brevior celebretur; neque quodlibet arbitrium laicorum, ſed voluntas Defunctorum, necesſitas, aut pietas vivorum, votivas Miſſas poſtulantium, & ejusmodi.

40. Miſſa de B. Virgine poteſt dici etiam in omnibus Sabbatis Adventûs, excepta Vigilia Nativitatis, ſi accidat in Sabbato ut ſupra dictum eſt.

41. In votivis privatis, pro gratiarum actione, ſecunda oratio erit de Officio, tertia pro gratiarum actione.

42. Idem fiat in Miſſa ad poſtulandam gratiam Spiritûs S.

43. Graduale, cum Alleluja dicitur etiam tempore Adventûs, licet illud omittatur in Miſſa de Feria.

44. In

44. In votiva Conversionis S. Pauli facienda est commemoratio S. Petri immediatè post primam orationem, ne unquam separentur; & è contra in votivis S. Petri fit commemoratio S. Pauli; sed melius est, earum vice dicere votivam communem de eisdem Apostolis.

DE MISSIS DE REQUIEM.

Communia Missæ Solemni, & Privatæ,

1. Psalmi præparationis ad Missam congruentiùs omittuntur.

2. Non dicitur Ps. Judica. Requiem æternam dona eis, in tota Missa dicitur semper in numero plurali.

3. Non signat se Sacerdos in Introitu, sed facit signum crucis super Librum.

4. Nec dicitur Gloria in excelsis.

5. Unica oratio dicitur, in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum, in die Depositionis, & Tertio,

Septimo, Trigesimo, & Anniversario Defuncti.

6. Nunquam nominatur dies quartus, quintus, sextus, nonus, & alii, intra Trigesimum, in oratione.

7. Quando plures dicuntur orationes, puta secundo loco, pro Patre, & Matre Sacerdotis, vel pro Benefactoribus, ultima est, *Fidelium*, generalis pro omnibus.

8. Oratio pro Patre & Matre Sacerdotis, non dicitur pro aliorum Patre, &c. & quando dicitur pro altero tantùm, sive Patre, sive Matre; semper dicitur initio Collectæ: *Qui nos Patrem & Matrem honorare præcepisti.*

9. Nulla dicitur oratio pro vivis, neque etiam si sit communis vivis, & Defunctis.

10. In Tertio, Septimo, Trigesimo, & Anniversario die Papæ, Cardinalis, Episcopi, & Sacerdotis, dicitur Oratio, quæ in die depositionis.

11. N. in orationibus exigit nomen proprium Defuncti, si est persona

Nobi-

Nobilis, vel insignis, vel sit consvetudo nominandi omnes.

12. Epistola & Evangelium sunt ad libitum celebrantis, ut dicitur in Rubrica Missalis; decet tamen ea dici, prout in Missali distributa.

13. Epistola & Evangelium primæ Missæ dicuntur in Missis pro Papa; Cardinali, Episcopo, & Prælatis etiam Regularium; secundæ verò Missæ congruentiùs dicuntur in Missis pro Sacerdote inferioris ordinis;

14. Sequentia dicitur semper, quando dicitur unica oratio. In aliis Missis, ubi plures dicuntur, ad libitum ea recitetur.

15. Non petitur benedictio ante Evangelium.

16. Non osculatur celebrans librum, neque dicit: *Per Evangelica* &c.

17. Non dicitur Credo, non benedicitur aqua in calicem fundenda, dicitur autem Oratio, *DEus qui humanæ*, &c.

18. Ad *Lavabo* omittitur, *Gloria Patri*; neque vice illius dicitur, *Requiem*, &c.

19. Præfatio semper communis dicitur.

20. Ad *Agnus Dei*, dicitur, *Dona eis Requiem*, & tertiò additur, *sempiternam*; neque pectus percutitur.

21. Omittitur prima Oratio, Domine JESU Christe, neque datur pax.

22. Dicitur in fine semper, *Requiescant in pace*, licet pro uno fiat officium Missæ.

23. Non datur benedictio, sed dicto, placeat, osculatoque altari, dicitur semper Evangelium S. Joannis.

24. Si fiat Communio Populi intra Missam, adhuc nulla datur illi benedictio.

25. Canticum, & Psalmus post Missam pro gratiarum actione dicuntur cum *Gloria Patri*, ut aliàs.

26. In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Sacrificia quæcunque debent applicari *omnibus*

Defun-

Defunctis, *ex intentione Ecclesiæ*; & consequenter cessant eo die omnes aliæ obligationes diei annexæ pro particularibus Defunctis.

27. In Missis de Vivis, commemoratio pro Defunctis penultimum semper habet locum, nempe, vel secundum, vel quartum, vel sextum.

28. Prohibitæ sunt eæ Missæ, quæ titulum habent S. Gregorii, pro Defunctis, à Sac. Rituum Congreg. 8. Aprilis 1628.

Propria Missarum solemnium pro Defunctis.

29. Primâ die mensis non impeditâ festo novem Lectionum dicitur Missa principalis cum tribus orationibus, ut in quotidianis Defunctorum.

30. Si verò ea die occurrat festum simplex, vel Feria, quæ propriam habet Missam aut resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, & infra Hebdomadam alius dies non recurrat, in quo resumi possit, aut

anticipanda sit Missa Dominicæ sequentis; in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, dicantur duæ Missæ, una pro Defunctis, alia de Festo simplici, vel Feria prædicta. Sed (heu) negligitur hæc Rubrica.

31. In Ecclesiis Regularium, & aliorum dicatur Missa de die cum oratione, *Fidelium DEus* &c.

32. Feria secunda cujusque Hebdomadæ, in qua officium fit de Feria, Missa principalis dici potest pro Defunctis, ut in quotidianis Defunctorum, omissa ea, quæ concordat cum officio.

33. Si occurrat Anniversarium, vel aliud officium pro Defunctis in Feria prædicta, & pro Missa Conventuali dicatur Missa generaliter; Altera pro Anniversario, vel officio &c.

34. Si eadem die occurrat festum simplex, aut Feria propriam habens Missam, aut resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, aut anticipanda Missa Dominicæ sequentis, ut supra, in

in Missa de die fiat commemoratio, ut dictum est pro Defunctis.

35. In Adventu, Quadragesima, Tempore Paschali nulla habetur ratio prædictæ diei primæ mensis respectu Defunctorum.

36. In Quadragesima & Tempore Paschali, nulla habetur ratio prædictæ Feriæ secundæ; in Adv. habetur.

37. Quando per annum est officium 9. lectionum de Sancto, non dicitur Missa Conventualis pro Defunctis (nisi in die depositionis Defuncti, & in Anniversario pro Defunctis;) neque pro eis fit commemoratio: idem fit in Quadragesima, & tempore Paschali.

38. In die depositionis & Anniversario, ita dici potest Missa Conventualis, ut non omittatur tamen Missa de die, ratione cujus Canonici lucrantur distributiones; ex Decreto Sac. Rituum Congregationis 25. Junii 1611.

39. In Parasceve non potest cantari Missa pro Defunctis.

40. In Sabbato Sancto potest, peractis officiis de die, & ubi est mos sepeliendi Defunctos cum Missa.

41. In die Paschæ non convenit cantari Missam de *Requiem*, sed differantur exequiæ potiùs in sequentem diem, si Missa requiritur.

42. In Dominicis, & Festis de præcepto, præsente corpore, concedit Missam solemnem Sacra Rituum Congregatio 23. Maij. 1603, & Rituale Romanum titulo de exequiis.

43. Non tamen in Festis primæ Classis, ex Rituali Romano.

44. Si contingat Anniversaria dies, Tertia, Septima, Trigesima in die Festo, transferatur Missa in sequentem, seu meliùs (ne patiantur animæ) in præcedentem diem.

45. Quodsi agatur de mutatione longiori ad tempus, seu perpetua, consulantur illi, qui possunt ultimas commutare voluntates.

46. Quandocunq; pro Defunctis solemniter celebratur, dicitur una tantùm Oratio, etiam extra diem depositionis, diem Tertium, Septimum, Trigesimum, & Anniversarium: intellige solemniter, id est, cum apparatu; ne pugnet Rubrica contra Rubricam de Missa solemni pro prima die Mensis, aut Feria secunda Hebdomadæ, in qua tres dici debent orationes.

47. Horæ celebrandi Missam solemnem Defunctorum est, vel post Primam, vel post laudes officii Defunctorum, ubi dicuntur ex manè post Matutinum diei, hoc est, ante Primam.

48. In die Commemorationis omnium Defunctorum dicitur post Nonam, cantata post Tertiam altera de Octava.

49. In die Depositionis, vel Tertio, Septimo, Trigesimo, aut Anniversario solemni, cum Populi concursu, potest dici post Nonam.

50. Non incensatur Altare, nisi ad oblata, & post ea, & Altare, celebrans solus.

51. Subdiaconus non osculatur manum celebrantis

brantis, nec benedicitur, neque tenet patenam; sed ministrat celebranti cùm incensat, & manus lavat, & incensat Sacramentum, cùm elevatur; neque defert librum osculandum celebranti.

52. Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur celebrantis manum; non incensat librum, nec in fine Evangelii celebrantem.

53. Acolythi, non portant luminaria ad Evangelium, neque thuribulum; tenent tamen, ut aliàs, medium Subdiaconum sustinentē librum Evangeliorū.

54. Nullus è ministris, cùm aliquid porrigunt celebranti, ejus manum aut rem osculatur.

55. In Choro genu flectunt omnes ad Confessionem, ad orationes & dicto per celebrantem *Sanctus*, usque ad *Pax Domini*, & ad orationes postCommunionem; in reliquis sedent, aut stant, ut in aliisMissis.

56. Candelæ distribuuntur Clero post Epistolam, & accenduntur ad Evangelium, ad elevationem Sacramenti, usque ad Communionem inclusivè, & ad Absolutionem.

57. Sermo fit post Missam ante Absolutionem; & ante sermonem induit celebrans pluviale, & Ministri cum eo deponunt manipulos.

58. In Absolutione hæc notanda. Subdiaconus gestat Crucem, ita ut Crucifixus sibi terga semper vertat.

59. Sistat se inter lecticam, & portam Ecclesiæ, si lectica est inter Altare majus, & portam; si alibi, eandem proportionem servet. Acolythi cum candelabris hinc inde.

60. Celebrans sistat se, ubi capite tecto descenderit de Altari , inter Altare, & lecticam, aliquantum versus cornu Epistolæ, & propè ipsum à sinistris Diaconus, & Acolythi cum aqua benedicta, & incenso.

61. Incensum benedicitur, & imponitur in thuribulum circa finem responsorii.

62. Antequam aspergat, vel incenset celebrans cum Diacono à dextris faciat reverentiam Altari, ut in Missa, & item Cruci Subdiaconi, dum circuit lecticam; celebrans quidem capite tantùm inclinato. Diaconus autem flexo genu, ter à dextris, & ter à sinistris aspergit, & incensat.

63. Diaconus tenet librum; celebrans orat manibus junctis & in fine facit manu dextrâ signum Crucis super lecticam, dicens; Requiem, &c. Cantores dicunt: *Requiescant in pace*: licet pro uno fiat Absolutio.

Propria Missarum Privatarum pro Defunctis.

64. Convenit, ut prima die Mensis ut supra, fiat saltē commemoratio generalis pro Defunctis in Missa de Festo simplici, seu de Feria, & item in Feriis secundis respectivè.

65. Missæ de Requiem privatæ quocunque die dici possunt; præterquam in Dominicis, & Festis duplicibus, in quibus neque præsente Corpore dici debent.

66. Non possunt dici in diebus quibus prohibebetur

betur fieri officium duplex de Sancto, *ex Decreto Sac. Rituum Congregationis* 28. *Augusti* 1627. hoc est, infra Octavam Epiphaniæ, Paschatis, & Pentecostes, in Fer. 4. Cinerum, in Hebdomada majori, in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecostes.

67. Si Festum duplex cadat in diem assignatum pro Altari privilegiato, & illud sit Festum de præcepto, non potest in eo Altari dici Missa de Requiem, *Sac. Rituum Congreg* 24. *Aprilis* 1627.

68. In Festo duplici, non de præcepto, celebrari aliquando possunt Missæ de Requiem, ut impleantur voluntates Defunctorum. *Ead.* 1. *Septembr.* 1617. 20. *Junii* 1626. non ait, ad arbitrium vivorum; neque tolerantia fieri lex debet, aut consvetudo nimia contra Leges Ecclesiasticas.

69. Potest pro Missa de Roquiem, dici Missa de Sancto, vel de Feria currente, quando majori devotione afficimur in his Missis; & multò magis, si Rubricæ obstent, quibus est magis obediendum. Probat *Gavant.* *fusè* *tom.* 1. *part.* 3. *tit.* 12. *n.* 20. *& seq.*

70. Missæ triginta S. Gregorii non sunt prohibitæ. *Sac. Rituum Congreg.* 28. *Octobris* 1628.

71. Dici debent hoc modo ex eodem *S. Gregorii* 4. *Dialog. cap.* 55. nimirum, per triginta dies continuos: ab uno sive à pluribus successivè Sacerdotibus: recitata Missa, quæ occurrit, vel de Requiem juxta Rubricas Missalis: cum applicatione Sacrificii animæ illi, pro qua dicuntur.

72. Si intra hos triginta dies occurrat Parasceve

cum Sabbatho Sancto, imò etiam Feria 5. in Cœna Domini; non tamen dicuntur triginta dies discontinuati quia Ecclesia prohibet celebrationem Missæ duobus primis prædictis dieb⁹;& in Fer. 5. Cœnæ jubet communionem Sacerdotum in unica Missa solemni. Qui verò celebrant in fer. 5. & Sabbato prædictis possunt continuare triginta dies; omisso die Parasceves, in quo non propriè fit Sacrificium.

73. Si dicantur triginta Missæ uno die vel pluribus discontinuatis diebus, proderunt quidem; sed non ex institutione S. Gregorii, de qua *in Dialogis loco citato.*

74. Et eodem modo, si intra triginta Missas enumeres, quas ter in in die Nativitatis Domini celebrabis. Sufficit enim, ut eo die unam Missam, titulo Missarum S. Gregorii, pro Defuncto facias; alias duas, pro quibus volueris. Fusiùs hæc *Gavantus in Tomo 1. Thesauri Sacrorum Rituum.*

Finis Primæ Partis.

APPENDIX
Ad Opusculum De Ordinandis desumpta ex Synodo Diæc. Cracov. Szyszkoviana additis aliquibus.

Inhabiles ad Ordines.

NAti ex Hæreticis. Addo ex Judæis intra gradum quartum in recta linea sunt inhabiles ad sacros.

Qui fuerunt ipsi Hæretici.

Noviter baptisati. Qui uxores duas, vel unam viduam habuerunt.

Excommunicati majori sententiâ.

Non confirmati. Publicè scelerati. Homicidæ, Adulteri, Perjuri, Usurarii publici. Ebriosi, Banniti, Infames, Tutores, Factores, & alii obligati ad reddendam rationem suis Dominis, Eunuchi. I-

 gnoti,

gnoti, Amentes, Epileptici, Energumeni, etsi jam liberi, Concubinarii & fornicarii publici de furto infames. Falsi testes, Sacrilegi, seditiosi, vindicativi, Aleatores, Proditores, Illegitimi.

Ex Præsbytericidio voluntario nati ad quartum gradum.

Milites qui interfuerunt cædibus.

Judices aut Procuratores causarum criminalium. Latores capitalis sententiæ. Qui dictârunt, aut scripserunt processus aut sententias, ex quibus mors alicujus secuta.

Sine examine etsi approbati.

Promoti transiliendo aliquem ordinem. Non servantes interstitia sine dispensatione Episcopi.

Qui ex pignore non computârunt fructus in sortem.

Irregulares, Suspensi, Interdicti, Rudes, corpore vitiati.

Etiamsi si crimen sit occultum, si innotuerit aliquâ viâ Episcopo, &c. potest prohibere Ordines, & ab assumptis prohibere,

hibere, seu suspendere & ab hac suspensione sive interdicto, debet à proprio Episcopo obtineri absolutio. Publicum est quod non à paucioribus quàm decem scitur.

Rejecti ab Examinatoribus si per intercessores quærant promoveri, vult hæc synodus ut per annum ab Ordinibus arceantur. Et qui inhabiles aut scandalosos commendat, privari poterit beneficio.

Adsit peritus cantûs Sacerdos qui de cantu examinet.

Pro prima tonsura.

Anni saltem septem. Sit confirmatus sciat cathechismum, sciat scribere, legere, non accipiat tonsuram ideò, ut se à foro sæculari subtrahat. Trid. sess. 23. c. 4.

Pro Mineribus.

Testamentum habeat à Parocho & Magistro. Non gaudebit canone, nisi beneficium habeat, vel habitum & tonsuram deferat alicui Ecclesiæ jussu Episcopi serviat. Vel in seminario sit Clericorum, vel in schola ut aptus sit ad alios Ordines Trid. sess. c. 6.

Sciat latinè. Si non omnes minores ſimul ſumit, in ſingulis ſe exerceat.

Non ordinentur niſi qui idonei ad Ordines altiores.

Ab Acolitatu ad ſubdiaconatum intercedat annus.

Si non ſimul omnes minores accepit, ſingulorum oſtendat formatas literas. Vel ſimul, oſtendat omnium.

Ad Sacros Ordines.

Oſtendat literas minorum, Natalium, ætatis, proviſionis ſeu Beneficii.

Regulares etiam oſtendant de ætate, nec ſufficit quòd in ſua domo à ſuis fuerint examinati, neque in hoc favent eis ulla privilegia.

Diaconi & Subdiaconi debent ſaltem diebus Dominicis & feſtis ſolennioribus communicare Trid. Seſſ. 23. c. 13.

Breviarium habeat. Proviſio ſit ad victum ſufficiens. Ad titulum patrimonii vel penſionis nemo ordinetur niſi id Epiſcopus approbet. Trid. Seſſ. 21. c. 2.

& pro-

& probare debent quòd hæc ſint ſufficientia, & nulli obligata. Et hæc fiant ante examen, quod examen fiet feriâ quartâ quatuor temporum. Trid. ſeſſ. 23. c. 7. Ad ſimplex beneficium Clerico ſatis ſi intelligat latinè, cathechiſmum ſciat. Si beneficio ſimplici onus adnexum, ſciat illi ſatisfacere. Qui ordinantur ut canant, minori egent ſcientiâ, dum adſit vita bona, ſobrietas, caſtitas, manſvetudo. Ordinandi ad curata Beneficia, examinentur ex cathechiſmo Romano, maximè ſi ſit pauper Parochia.

Parochi civitatum in quibus ſunt matrimonia rigidius examinandi, & hoc fiat ante Subdiaconatum.

Profeſſio facienda fidei ante S. Ordines Syn. Prov. 1. Sciant omnia ſui ordinis Ibid. Qui fictam proviſionem afferunt ipſo facto ſunt ſuſpenſi. Et talis proviſor excommunicatus. Szyſzkov.

Ordinati ſine examine ab exercitio ſunt ſuſpenſi S. Prov.

Domorum invaſores non ſunt ordi-

nandi, & Clericidæ usque ad quartam generationem, Ibid. Non ordinandi, qui sine interstitiis promoti ibid.

Examen Curatorum, & pro Confessionibus audiendis.

De sacr. Pœnitentiæ, à quo institutũ? quæ ejus materia, forma, minister? quid operatur?

De Ministro. Quis Pœnitentiæ? quæ potestas ordinis, Jurisdictiones? Quid requiratur in Confessario? An non Sacerdos possit aliquando confessionem audire? Quomodo mortale à veniali discernatur? An Confessarius existens in mortali possit audire? an existens excõmunicatꝰ? quis modus examinandi pœnitentẽ?

De contritione an sit necessaria semper? an differat ab attritione? quæ signa illius? Quando quis obligatus confiteri? & an satisfaciat si in communi? quale propositum necessarium? Quæ occasio proxima, & an ea omninò relinquenda?

De Confessione. An generalis aliquando necessaria? quid in hac omitti possit? Quæ necessariò in confessione dicenda? Quid

Quid circumſtantiæ mutantes ſpeciem, aut aggravantes. Quando confesſio repetenda? quando in illa taceri aliquid poteſt?

De abſolutione, quæ ejus forma? à quo priùs abſolvendum? an ab irregularitate posſit? Qui caſus cui reſervati, & ſi ab iis abſolvat, qualiter peccet? quis capax abſolutionis? A quibus cenſuris abſolvere posſit? Quid ſi nullum peccatum dicat? quomodo in articulo mortis? quomodo recidivi? quando cautio petenda?

De ſigillo. Quid naturale? quid confesſionis? quid cadàt ſub ſigillum? an extra confesſionem imponi posſit? Pro quibꝰ publica pœnitentia imponenda? Quæ pœna frangentis ſigillum? An dicta ſub naturali ſecreto posſint dici interroganti Judici?

De reſtitutjone. An qui non ſuccurrit ex charitate proximo, teneatur reſtituere? An qui conſenſit in damnum alterius? Qui ſunt modi cooperandi alterius damno? Ad quid obligetur Confeſſarius ſi non impoſuerit reſtitutionem? An qui furatus, & rem habet, ſatis-

faciat, si non rem, sed pretium ejus restituat? An si rem furto ablatam elocet, teneatur & pretium elocationis restituere? An pretium, quod pro peccato quis accepit, teneatur restituere? Quid excusat à restituendo? Bona incerta aut inventa, an restituenda? An qui in re vera infamavit aliquem, teneatur restituere?

De Usura, Quid usura? An pro mutuatione possit aliquid peti? An in contractu de retrovendendo, sit usura? Quod pretium justum? Contractus Societatis quid, & qualis? An possit plus peti, quia pretium est expectandum? Quis usurarius manifestus? Quid est, lucrum cessans, damnum emergens? Quis fructus pro dote non soluta possit peti?

De Simonia. Quid, & quotuplex? An qui confert indigno; propter preces, affinitatem, amicitiam, incurrat Simoniam? Quid Simonia à manu, à lingva, ab obsequio? Qui Simoniaci sunt jure ipso excommunicati, aut suspensi?

De Censura. Quid, quotuplex? quæ cui

cui reservata? quid de illis tempore Jubilæi? quid irregularitas? quotuplex?

Alia quædam ex Synodis Prov. Poloniæ

Ad quodvis beneficium præcedat examen. Aliàs Episcopus per annum suspenditur. Regulares ab eo Ordinandi in cujus degunt Diæcesi vel petant ab eodem dimissorias, sed si absit proprius Ordinarius, vel nolit: potest superior ad alium mittere causâm exprimendo. Debet in ordinandorum non Regularium mores uno ante mense inquiri à Paracho. Qui provisionem fictam dant, vel accipiunt, sunt excommunicati Syn. Crac. Reprobantur ibid. provisiones, ut incertæ ex Decimis exiguis, Anniversarii, confraternitatibus artificum, stipendio Missarum, exercitio SS. Ordinum &c. Etiamsi his adjungatur exiguum patrimonium, aut simile beneficium, sed neque si in tali casu obliget se Episcopus ad supplendum defectum. Item non valet pro-

visio ex artificio. Quia est musicus, Pictor, nec valet, si ordinandus habeat provisionem inscriptam in alienis bonis, etiam cum cautione certa, etiam in defectu Sacerdotum. Nec valet ad titulum seminarii. Hæc de provisione desumpta sunt ex decr. Congreg. Card.

Nemo à Patronis petat beneficium sine commendatiis Episcopi, aliàs honore & communione privetur.

Regulares afferant testimonium, quòd fecerint professionem in manibus sui Superioris, & forma professionis exprimatur, locus, tempus, & ætas professi, aliàs ad majores non admittendi. Non professi si ordinentur, ipso facto sunt suspecti, excipiuntur Religiosi Soc. JEsu à Greg. XIII. qui eos noluit Bullâ Pii V. contineri.

Ordinandi pauperes scholares, priùs per annum in Cathedrali vel collegiata se exerceant, & de hoc ferant testimonium. Syn. Cracov.

Accedant ad Ordines, decoro habitus superpelliceo, albâ, candelis, barbâ, cæsarie. Confessionem præmittant.

Qui

Qui dimiſſorias petunt, teſtimonium de moribus aſſerant à Parocho, & examinentur.

Scire debent præterea jus aſyli Eccleſiaſtici. Carent hujus aſyli ſubſidio, latrones publici, agrorum nocturni depopulatores, & qui in templo vel cæmiterio fecerunt homicidium, aut mutilationem Syn. Prov. Sciat immunitates Eccleſiaſticas. Nam qui impedit recurrentem ad forum Eccleſiaſticum in cauſis ad illud ſpectantibus, ipſo facto eſt excomm. Item qui telonia imponit rebus ad Clerum ſpectantibus, & non ad mercaturam. Item milites qui in bonis Eccleſiæ onera exercent, ſi moniti non ceſſent, ipſo jure ſunt excom. Et alii etſi nō milites ut & qui collectas talibus bonis imponunt, qui Eccleſias invadunt, à ſubditis Eccleſiæ vecturas exigunt, excepto caſu, ſi Dux vel caſtrum hoſti deberet, niſi ſuccurreretur, tradi, vel hoſtis adeſſet ibid.. Item ſunt excommicati. Qui ſuos ſubditos prohibent ne aliquid perſonis

Ecclesiasticis vendant, ab iis emant. Ne in suis bonis panes coquant. Qui subditos Ecclesiæ compellunt vi ut in suis molendinis molant, vel aliorum qui non est Dominus. Qui ex publico flumine contra jura & consvetudinem prohibent aquam derivare. Qui per flumina publica ducere vetant Ecclesiasticos ligna ex suis sylvis, vel ex alienis pro usu proprio coëmpta; vel qui eadem ligna prohibent in terram educi in domos conducere, & supra hoc telonium ponunt, Qui suos subditos vetant ne suam operam locent Ecclesiasticis ut triturrationes, vecturas, quæ aliis communiter locari solent. Qui pascua communia prohibent. Decimarum convectionem vetant in horreum. Parochi, qui prohibent in publicis hospitiis pernoctare Ecclesiasticos, qui oblationes impediunt, qui se in administrationem bonorum Ecclesiæ, perceptionem decimarum, fructuum, proventuum, &c. Quomodocunque ingerunt, etiamsi sint Patroni, Qui sine consensu

ſenſu eorum ad quos ſpectat, decimas manipulares in pecuniarios vertunt. Qui jurisdictionem in bonis Eccleſiæ impediunt, interrumpunt. Syn. Crac. Debent jurare coram Actis priusquam ordinentur præcipuè ad Vicariatum Parochialium quod ſine facultate ordinarii in ſcripto non ſint deſerturi ſuam Eccleſiam, & qui aliter illos Parochus reciperet, ſolvet 100. marcas, ita S. Prov. Lib. f. 23. Et hunc receſſum ab Eccleſia S. P. Mac. vetat ſub ſuſpenſione ab execut. Ordin. Ficta præſumitur eſſe proviſio quàm quis ſtatim ac ordinatur, deſerit. Ibid.

Natus in itinere ibi habet originem ubi Pater ejus domicilium Piaſec. in praxi.

Ibi eſt etiam domicilium ubi beneficium. Etiam pro prima tonſura debet eſſe proprius ſubditus. Nec ille ordinari poteſt qui de novo hic ſtatuit domicilium, ſi ab alio Epiſcopo aliquos accepit ordines, ſuperior Regularis ſuo ſubdito poteſt dare dimiſſorias ut ab alio Epiſcopo ordinetur quàm ab illo in cujus eſt diœ-

ceſi

cesi si proprius absit, vel nolit ordinare, Quod exprimatur in his dimissoriis.

Adduntur quædam ex praxi Piaseccii. Ordines minores potest suis propriis Monachis conferre Abbas consecratus.

Qui non suo subdito confert aliquem ordinem à collatione ejusdem per annum suspenditur, & ordinem accipiens, ab eodem ipso jure suspenditur quousq; velit proprius Episcopus. Proprius est apud quis natus, vel baptisatus, non casu v. g. in itinere. Ubi Pater ejus habet domicilium, vel si hic nullum habet: ubi mater, vel ubi ipse sibi constituit: ubi scilicet majorem partem bonorum habet, contrahit, festa celebrat. Vel ubi longo tempore habitat animo ibi manendi non ad tempus. Vel ubi habet beneficium sufficiens, non in fraudem collatum ut ex aliena Diæcesi extrahatur. Qui plura habet beneficia, si æqualiter in iis resideat, plura habet domicilia.

Nec pro minoribus ordinari potest nisi à proprio. Nec qui jam ab alio Episcopo ad aliquam Ecclesiam ordinatus. Nec Regulares nisi ab illo in cujus Diæ-
cesi

cesi habent monasterium. Sed de hoc infrà. Locus non habens Episcopum, eligit vicinum, & fit illi subditus.

Qui habet literas dimissorias, quilibet est ejus proprius Episcopus & cum eo dispensare potest ad Ordines, in quibus potest cum suis subditis. Sed ut possit in interstitiis, debet expressè poni in dimissorialibus. Dimissoriæ non dandæ nisi ex causa justa, & per examen approbatos, & debet in illis exprimi quòd dimissus sit dignus & provisus, aliàs dimittens tenebitur ad providendum. Sed & sic dimissum potest Ordinans examinare; & licet in dimissoriis poneretur quòd dimissus sit dignus & provisus, si de contrario constaret, non deberet ordinari. Dimissorias dare suis possunt Superiores Religiosi si proprius Episcopus absit vel non ordinet. Dum hoc non fiat in fraudem proprio, à quo etiam de doctrina examinandi, ut in dimissoriis causas dimittendi dictas exprimãt. Semel datæ dimissoriæ semper durãt.

Familiaris Episcopi qui semper illi adstat per trienniũ, etiamsi fuerit alienus, potest ordina-

ordinari, sed si vel primam tonsuram acceperit, debet illi dari beneficium. Sed familiaris Episcopo titulari non potest.

Hermaphroditus ordinari non debet, nec bis baptisatus, cum rebaptisatis ex ignorantia probabili aut metu gravi potest Episcopus dispensare, Apostatæ, fidem abnegantes, ordinari non debent etsi Ecclesiæ reconciliati. Nec possunt qui jam adulti baptisati. Nec hæreticorum Filii ad secundam paternam, & primam maternam. Patroni, vel beneficiarii Ecclesiæ, qui occcidit vel mutilavit illius Ecclesiæ Clericum, ad quartam generationem non ordinantur Filii. Similiter ad quartam descendentes ex Judæis aut Hæreticis non debent ad sacros promoveri, ab hæreticis baptisati non ordinantur, & qui baptismum ad ætatem adultam vel morbum distulerunt.

Qui ante legitimam ætatem ordinantur ad sacros ipso facto suspensi sunt, donec absolvantur. Et Ordinans tales suspensus ab eo ordine quem oontulit. In

materias

materias ætatis creditur Parentibus & libro baptiſmi. Nati ex Matrimonio habente impedimenta dirimentia, non ordinantur. Item ex adulterio, inceſtu, fornicatione. Impeditur & qui ſcit ſecretò ſe illegitimum. Sed in hoc non tenetur credere matri id aſſerenti. Imò nec utrique Parenti, ſi aliunde contrarium probare poſſit. Imò etſi juraret mater, niſi accederet educatio extra domum matris, tractatio nō filialis, fama viciniæ. Nec ſufficit illegitimo etſi per Principem legitimetur. Sed illegitimi legitimantur per ſubſequens matrimonium Parentum ſi tamen quando ſunt geniti nullum Parentes habebant impedimentum ad contrahendum, aliàs non legitimarentur poſtea obtentâ diſpenſatione, niſi in eadem cum illis diſpenſaretur expreſsè. Nati ex Matrimonio impedito, ſi poſtea diſpenſetur, legitimantur. Si illegitimus ordinetur, deinde contrahant Parentes, adhuc ille eſt ſuſpenſus. Si bannæ præceſſerunt, & impedimentum ignoravit unus, aut u-

terque

uterque Parens, non impedit Ordines etiamsi post conceptionem ejus innotescat impedimentum. Si Parentes infideles in gradibus & Canone prohibitis contraxerunt, deinde sunt conversi, filii non sunt illegitimi. Illegitimus per ingressum Religionis legitimatur. Papa legitimare potest ad omnes ordines. Episcopus ad Minores, & simplex beneficium. Expositi petant dispensationem.

Infames sunt de factò aleatores, vinolenti, seditiosi, concubinarii, fornicatores, convivantes, tabernarũ frequentatores, histrionicam vel artes sordidas exercentes, & ista omnia sæpiùs. Sed hæc infamia cessat mutatis moribus. Infames facto, perjuri, homicidæ, Hæretici, Simoniaci, adulteri, duas uxores vel duas sponsas habentes, lenones, qui filiam vel neptes prostituit. Ad hanc infamiam requiritur verum delictum, & fama apud bonos & graves viros.

Infames de jure, qui per sententiam Judicis, vel per pœnam, vel quia tale est delictum,

ctum Tales ſunt declarati à Judice. Adulteri, uſurarii, misſi in exilium, aut ad aliam pœnam infamem damnati. Item publicè pœnitentes. Si ob crimen fuſtibus cædatur. Qui infamis eſt in jure civili, eſt etiam in Canonico. Omnes iſti ordinari non debent.

Qui ſerviunt in cauſis ſangvinis, ut Judex criminalis, notarius, lictor, apparitor, inſtigator, miles, non debent ordinari. Sed de milite infra. Qui ſerviunt in cauſis civilibus, depoſito officio poteſt, etſi in his ſervit cum cura miſerabilium perſonarum ut pupillorũ tutela, talis etiam non depoſito officio poteſt ordinari. ſed etiam depoſito officio qui obligatur ad reddendas rationes, non eſt promovendus. Pruiveo ſerviens, niſi liberetur, non debet promoveri: neque ſi liberatus ſit, ſi tamen obligatus ex dolo, perfidia, vel publicè infamatus, promoveri poteſt.

Hoinicidæ & membrum amputantes, ſunt irregulares. Membrum eſt quod ſuũ

habet

habet officium in homine, ut per manus, non autem digitus qui est potiùs pars membri. Et quidem est irregularis etiam justus homicida, ut Judex, miles. Et Judex quidem etiam sine sangvine, si molestius alicui acceleret mortem. Item qui ad homicidium concurrit, mandato, consilio, auxilio. Sed sola voluntas interna, vel ratis habitio post factum, non facit irreg. Item non facit si quis alteri generaliter committat jurisdictionem criminalem. Sed incurrit irreg. qui causam dat homicidio, venenum præbet, maleficio inficit, abortum procurat fætûs animati, canem incitet ex quo sequitur mors aut mutilatio. Non incurrit, qui solum est remota causa mortis. Ut qui dat arma eunti ad bellum, sed incurrit qui arma pugnanti in ipso fervore pugnæ. Incurrit qui nocens & casualiter occidit si id facit dando rei illicitæ operam, vel licitæ quidem, sed non adhibuit debitam diligentiam. Incurrunt Consiliarii, Notarii, Advocati, Procuratores

tores

tores agentes contra Reum qui morti tradetur. Item qui dant operam Judici in exequenda capitali ſententia, ut licto-res, cuſtodes, qui comitantur armati Reum ad mortem ne effugiat. Qui Reum tradunt Judici, detinent ut capiatur, & non proteſtantur quod nolint agere iſta, ut reus moriatur, ſed ut ſolùm civiliter puniatur, ſecutâ morte ſunt irregulares, ut & ille qui ligat aliquem ut faciliùs occidatur. Item qu hortatur carnificem ut citiùs occidat, enſem acuit, ſcalam, funes, & alia vaſa mortis. Vel facit actum aliquem quo mors acceleretur, hoc intendendo.

Incurrit qui irâ vel deſperatione manûs ſibi infert, ſe mutilat. Mutilare tamen poteſt iuſſu medici, & qui hoc exequeretur, & Medicus, non fierent irregulares. Nec qui in defenſione ſuæ vitæ occidit, ſi nec fugere, nec aliter defendere ſe poſſit. Sed in defenſione bonorum occidens, item in defenſione vitæ Patris, Matris, uxoris, prolis, eſt irreg. Item eſt

ſi in

si in defensione bonorum Ecclesiæ. Non fit occidens, irreg. si sit infans, dormiens, amens: nec qui ante suum baptismum; nec qui inutile alterius membrum reddidit sed non abscindit. Nec qui causavit abortum inanimati. Mas die 40. à conceptu animatur, fæmella 80. etsi dubitetur quid fuerit, pro mare præsumendum ordinari non possunt, corporis, celebrare non possunt, deformes etiam valdè, item cæci, monoculi. Si non sit deformitas in monoculo, & sinistro oculo valeat, potest ordinari sed cæcus sinistro non potest. Qui habet albuginem non potest, sed macula non obest. Lippi si non ad deformitatem, possunt. Surdus omninò non potest. Auriculá carens pro delicto, vel ex opere illicito, vel si inducat deformitatem, non potest. Motus, & ita lingvæ impeditæ, ut vix intelligatur, non potest. Claudus, ut sine Scipione non accederet altare, non potest, si mediocriter claudus & non ex opere illicito, potest. Manu carens

rens vel digito necessario ad fractionem hostiæ, non potest. Tremulus ne manibus & etiam chiragricus perpetuò non potest etsi id Sacerdoti accidit, abstinere missâ bet, de vitiatus corpore cum horrore aspicientium, non potest. Naso trunco, labiis deformibus, aut cicatricibus, non potest. Apoplectici, paralytici, epileptici non possunt, & beneficia talibus collata, ipso jure vacant. Sed qui epilepsiam habuit, potest habere simplicia beneficia. Maleficiati toto corpore, vel per maleficium impediti ad functiones debitas, non possunt. Lunaticus nec ordinari, nec si Ordines accepit, ministrare potest. Energumeni nisi saltem ante annum liberati, non possunt & tunc adhuc solùm ad minores. Eadem poenâ afficiuntur qui se energumenos simulant. Deliri, phrenetici, nisi pridem curati, non possunt. Lepra impedit ordines, etsi ordinato superveniat, impedit administrationem & beneficio privandus esset assignatâ illi sustentatione. Scabiosi perpetuò

perpetuò cum enormitate non possunt, Morbo gallico laborans, non potest priusquam curetur qui nauseam vini habent: & qui ad munia Ordinum inhabiles, non possunt. Cujus deformitas extra non apparet nec impedit ministerium, potest. Unde abscissus à medicis, ab hostibus, à Parentibus, pud. aut alio membro carens, potest. Secus si ex opere illicito fuisset abscissus. Deformitas judicio ordinantis subest præter mutilationem membri, vel oculi effossionem. Sed vitiato corpore ante Ordines non sunt dandi: vitiato in Ordinibus id non negandum quod potest exercere, imò & ulteriùs potest promoveri.

Bigamus etiam ante baptismum, vel si unam antè, alteram post habuit, est irregularis. Non est bigamia vera si cum pluribus contraxit sponsalia. Vel si cum una Matrimonio non consumato, duxit aliam. Bigamus est qui contrahit cum illa quæ fuit ab alio cognita etiam fornicariè. Vel si cognoscat uxorem quam scit adulte-

ram.

ram. Sed si ducat eam quam ipse antè corrupit, vel ipsimet plures ante, vel in Matrimonio cognoscat, non est bigamus, est verò qui accipit in uxorem eam quæ histrionica exercuit. Huc refertur qui post votum solenne castitatis contrahit Matrimonium, quod etiam hoc casu est nullum. Hoc votum est Religioni, aut Sacris Ordinibus adnexum.

Invitus retro debet ordinari, & ipsum ordinans suspenditur ab officio per annum. Sed qui non reclamavit ullo signo, nec illi gravis est metus adhibitus, volens est ordinatus. Cogi ad ordinem potest, qui tenet beneficium quod talem requirit ordinem.

Non debet ordinari qui non habens, vel malè habens ordinem, ministravit in iis quæ sunt propria huic ordini, nec per minorem aut laicum fieri possunt. Sed potest Subdiaconus in defectu Diaconi cantare Evangelium sine manipulo. Et qui ministrat altari tanquam nudus minister, non efficitur irregularis.

Ordinatus ſine proviſione ſufficienti non incurrit ipſo facto ſuſpenſionem, ſed & ordinans & ipſius ſucceſſor tenetur providere, etiamſi ordinans non eſſet in culpa. Si examinatores ſunt in culpa, ipſi tenentur: ſi ipſi non poſſunt, tenetur nihilominùs Ordinans providere. Sed ſi ordinatus malâ fide processit, ſciendo quòd ordinans neſciret defectū proviſionis, vel decepit non tenetur ipſi Ordinans providere. Et ordinatus ipſo facto eſt ſuſpenſus. Si ordinatur ad præſentationem alterius, præſentans provideat. Si ordinaretur promittendo Ordinanti quòd non eſſet petiturus proviſionem, ſuſpenderetur ordinatus ab ordine ſuſcepto, Ordinans à collatione ordinum. Qui præſentat cum conditione ut Ordinatus petat ab eo proviſionem. Si eſt Clericus, ipſo facto ſuſpenditur ab executione ſuorum ordinum, donec abſolvatur à Papa. Regulares non profeſſi non ordinentur & ipſo facto ſuſpenduntur qui in his contraveniunt. Excepit Socie-

tatem

tatem JESU Greg. XIII. Non poteſt quis promoveri ad beneficium manuale, vicariatum, ad proviſionem ad tempus, ſed proviſio debet eſſe perpetua. Proviſionem primam dimittere nemo poteſt niſi habeat priùs aliam ſufficientem. Sed ubi de proviſione agitur ſolùm procedit de ſacris.

Ordinatus extra tempora ipſo facto ſuſpenditur. Minores poſſunt conferri quâvis Dominicâ & feſto.

Qui non examinati ad Ordines accedunt, depoſitione ſunt digni, & ſunt ipſo facto ſuſpenſi. Etſi ante ordines pronunciata eſt excommunicatio ut nemo accedat niſi examinatus & approbatus, incurret ſuſpenſionem reſervatam Papæ. Examen debet inſtitui rigidè, & Regulares examini de doctrina ſubſunt. Sed de moribus debent ferre teſtimoniũ ſuperiorum. Minores poſſunt, ſed non ſacri, extra Miſſam conferri. Suſcipiens majorem ordinem omiſſo minore ipſo jure ſuſpenſus eſſet ab ejus exercitio, & ordinem omiſſum debet recipere.

In interstitio potest dispensare Episcopus etiam Regulares, qui in loco à suis superioribus dispensari non possunt. Peccat ordinans sine interstitiis.

Duo sacri Ordines eodem die dari non debent, & executio eorum est suspensa reservata Papæ. Minores possunt omnes eodem die etiam cum Subdiaconatu. Traditio instrumentorum in sacris debet fieri immediatè per Episcopum. Quod si omittatur aliquid supplendum est alio tempore ordinationis, nisi de substantia non essent. Sed tenent aliqui quod omnia quæ sunt in Pontificali sint de substantia Ordinis, ideòque tutiùs etiam illa quæ minora videntur supplere.

Cuilibet Ordini sacro adnexum est votum continentiæ. Ex ordinatione Ecclesiæ, quod votum potest expresse exigi. Qui in sacris est tenetur horas dicere. In minoribus non obligatur ad votum, nec ad horas nisi habuerit beneficium. Tenetur tamen ad officium B. V. vel Psalmos Pœnit. Præcipuè si ordinatori id injungenti consentit.

Ad pri-

Ad primam tonſuram & minores ordinati non aliter gaudent privilegiis Cleri, niſi habitum & tonſuram deferant, vel habeant beneficium, aut morentur in ſeminario Clericorum.

Ordinator ab ordinato non poteſt accipere aliquam mercedem, munera, nè quidem in collatione primæ tonſuræ, nè quidem à ſponte offerentibus, alioquin uterque, & mediator eſſet ſimoniacus, & ipſo facto incurreret excomm. reſerv. Papæ, & ſuſpenderetur ab omnibus Ordinibus etiam ante ſimoniam acceptis, neque poteſt recipere, forfices, mappam, pectinem, aut ſimilia. Imò Toletus dicit periculoſum eſſe accipere cereum, ſed Pontificale permittit. Ordinatus ſimoniacè ignoranter non afficitur pœnis prædictis. Nec pro literis formatis, nec pro dimiſſoriis poteſt aliquid accipi niſi ut diſponit Trid. ſeſſ. 21. c. 1. Non extenduntur verò hæ pœnæ ad Simoniam mentalem & conventionalem.

Diſpenſare poteſt Epiſcopus in irreg.

 prove-

provenientibus ex delicto mortali, occulto seu non notorio non deducto ad forum contentiosum per citationem. Causa irreg. debet esse occulta, non deducta ad forum litigiosum. Quod publicum est alibi, etiamsi hic sit occultum, est tamen simpliciter publicum ut sit deductum ad forum litig. non; sufficit ut tantùm curia caperet informationem, neque si socius criminis tractus est ad judicium. Si Reus in judicio absolutus etiam ex falsis rationibus. Adhuc occultum dici potest, si Reus nec condemnatus nec absolutus à judice; sed cum parte composuit, sed tamen hoc casu tutiùs petitur dispensatio. In irreg. tamen ex homicidio non potest dispensare Episcopus, si sit voluntarium, illicitum, & injustum, nisi ad retinendum simplex beneficium quod homicida ante hanc irregul. habuit, sed non ad exercitium ordinum susceptorum.

Abortus animati fœtus si procuretur æquivalet homicidio, & licet sit occultus, dispen-

diſpenſari ab Epiſcopo non poteſt. Poteſt verò ab homicidio occulto licet exceſſus factus in moderamine inculpatæ tutelæ, commiſſo in defenſione vitæ propriæ. Vel Parentum, propinquorum, vel in defenſione rerum ſuarum ſi ſit publicum, diſpenſari ab Epiſcopo poteſt ad ſimplex beneficium, minores, & non ampliùs.

Homicidium merè caſuale, & omninò involuntarium nullam inducit irreg. ſi proveniat ex defectu perfectæ lenitatis quia non provenit ex delicto, non poteſt ab Epiſcopo diſpenſari, niſi ad minores & ſimplex beneficium.

In mutilatione occulta poteſt Epiſcopus diſpenſare, in publica, diſpenſabit ſolùm ad minores & ſimplex benef.

Poteſt Epiſcopus diſpenſare cum eo qui per ſaltum Ordines ſuſcepit, ſi in illis non miniſtravit, vel ſi miniſtravit ignoranter. Sed ſi miniſtravit in ordine non ſuſcepto, eſt Papæ reſervatus. Poteſt cum eo diſpenſare, qui plures ſacros eodem die ſuſcepit. 1. Non ſit ipſe Epiſcopus qui

eos contulit. Cum eo qui ministrat in ordine quem non suscepit, potest quoad beneficium, & exercitium susceptorum, sed non ad alios majores suscipiendos. Potest cum eo qui furtivè sine examine &c. ordines suscepit. Sed si ante ordinationem publicata excomm. contra accedentes furtivè, reservatus est Papæ. Potest cum illo suo qui sine dimissoriis ab alieno ordinatus. Potest cum suspenso qui extra tempora ordinatus, sed praxis tales remittit ad Papam. Potest cum eo qui ordinatus ab hæretico, schismatico, excommunicato, cujus denuntiatio ignoratur. Potest cum eo qui tempore interdicti exercet actum sacri Ordinis, ut possit uti Ordinibus susceptis, sed non ut ordinetur ulteriùs. Cum eo qui ordinatus in excommunicatione majori, in suspensione, interdicto, solus Papa dispensat; quo facto ab istis censuris si non fuerunt reserv. Papæ, poterit absolvere Episcopus. Simoniacus non in ordine vel beneficio potest ab Episcopo absolvi. Simo-

niacus

niacus in ordine, hic intelligitur etiam occultus, dum ſcienter peccaverit.

Cum ſimoniaco in beneficio ignoranter, ſi non approbavit ſimoniam poſtquam agnovit, & ſtatim beneficiũ dimiſit & fructus beneficii ſimoniaci, iſta enim duo tenetur facere in conſcientia. Poteſt Epiſcopus diſpenſare, & poteſt illi hoc ipſum beneficium ſi eſt ſimplex reddere. Et alia talia poſtea beneficia poterit acquirere. Quia ignoranter ſimoniacus non eſt verò talis, neque eſt excom. nec propterea, ità eget diſpenſatione & publica Prælati declaratione de non incurſa ſimonia, & excomm. Poteſt Epiſcopus diſpenſare cum ſimoniaco ſcienter ſed jam abſoluto ab excomm. ut posſit retinere beneficium antè ſimoniam obtentum. Non poteſt etiam in occulta, ſed ſciente ſimonia, in beneficio, Epiſcopus diſpensare.

Non poteſt Epiſcopus ſuper defectu ætatis. In bigamia cùm poſt profesſionem Religioſam vel poſt ſacros ordines contra-

contrahit & consummat Matrimonium dispensatEpiscopus, sed in bigamia cum duabus, vel cum vidua non potest. Cum hæretico, Neophyto, non potestEpiscopus cum eo quem judicat deformatum, non potest nisi ad minores. Cum illegitimis solùm potest ad minores & simplex beneficium. Cum expositis potest ad omnes ordines uno verbo.

In omnibus irreg. quoad minores ordines & simplex beneficium, potest dispensare Episcopus, excepto homicidio & bigamia, ad majores ordines in nulla nisi in casibus à jure expressis. Ab excommunicatione potest in omnibus casibus in quibus à jure non prohibetur & est à jure lata. Similiter in suspensione ob contumaciam per modum censuræ lata: Sed cùm suspensio imponitur in pœnam, non potestEpiscopus dispensare nisi in casibus à jure expressis. In dubio præsumendum de suspensione ob contumaciam. In dubiis dispensationum, remittatEpiscopus ad Papam. Si Papa ordinat habentem impedimentum, & scit de hoc, ipso facto dispen-

dispensat. Sed hoc non currit in Episcopo qui ſine cognitione cauſæ dispenſare non poteſt. Dispensationes dandæ ſunt gratis.

Adduntur aliqua ex Franchis.

Regularis debet afferre à ſuperiore ſi eſt extra Diæceſim in qua habet monaſterium ſui ordinis, ordinandus, dimiſſorias à ſuo ſuperiore, quæ non ſint antiquiores trimeſtribus, niſi abeſſet ſuperior à quo recentiores petendæ eſſent. Idẽ eſt de morum teſtimonio quod etiam afferre debet. Si non explevit interſtitia, ut in iis dispenset Episcop⁹, teſtetur ſuperior id exigere neceſſitatem monaſterii vel Eccleſiæ. Afferat & teſtimonium quòd ſit profeſſus, & quòd priores ordines exercuerit. Furtivè ſuſcipit ordines qui ſine facultate ſuperioris, & ſubjacet excommunicationi quæ ante ordinationem ſolet pronuntiari, eſtque Papæ reſervata, ſed ſi eſt occulta, poteſt ab illo Epiſcopus abſolvere. Promoti ad minores ante legitimam ætatem non ſunt ſuspenſi.

Qui ordines sacros accipit ante professionem in Religione, & ordinatur ad titulum paupertatis, est ab executione ordinum suspensus. Admittunt ad ordines illiteratos, vel malæ vitæ non præmissâ priùs in hoc seriâ inquisitione peccat graviter. Ordinatus sine examine deponi debet, & ordinans illiteratum suspensus est per annum, neque excusatur per hoc quòd habiliores non inveniat. Annus interstitiorum est à quatuor temporibus ad alia similia. Ordinatus cum falsis dimissoriis est suspensus. Et si ordinem exerceat malâ fide, irregularis efficitur, neque eum salvat, quod deinde ratificentur dimissoriæ. Cum illiterato Episcopus dispensare non potest.

FINIS.

PARS ALTERA HUJUS OPUSCULI,

DE VIRTUTIBUS, ET VITIIS.

PRÆFATIO BREVIS.

OMnes actiones humanæ vel ſunt bonæ, vel malæ. Bonæ, ſunt virtutum actus: malæ ſunt peccata. Virtutes erga Deum ultimum finem noſtrum ſunt tres. Fides, Spes, Charitas, dicuntur Theologicæ. Virtutes quæ ſunt erga res alias præter Deum, & ſunt media ad finem ultimum, dicuntur morales. Ex his tres ſunt in voluntate. Temperantia, Fortitudo Juſtitia: una in intellectu, Prudentia. Simili modo vitia virtutibus oppoſita diſtingvuntur. De utrisque in præſenti agemus, non in omni latitudine, ſed tantùm ſub ea ratione, quan-

tùm actus earum sunt boni vel mali, liciti vel illiciti. Quia verò omnis actio humana fit propter finem aliquem, sciendum est nostrum finem ultimum esse DEum atque adeò etiam nostrarum omnium actionum. Nam omnia propter bonum agunt, DEus verò est summum bonum, & quidem non solùm in se, sed etiam nobis.

CAPUT I.

De fine ultimo, Mediis ad illum, & impedimentis.

§. I. *De fine ultimo Hominis.*

BEati esse omnes volumus. Hæc beatitudo in eo consistit: ut summo bono jungamur, atque ita ultimus finis est summum bonum sive DEus. Conjungimur cum illo per intellectum & voluntatem. Quocirca Beatitudo est Dei perfecta cognitio & perfectus amor. Perfecta Dei cognitio est clara Dei visio perfectus amor est ejusdem fruitio. Summum verò est bonum, quia cætera omnia superat bona tàm animi, tàm corporis, quàm externa. Nam inter animi bona, scilicet virtutes, summæ

summæ ac primæ veritatis cognitio in intellectu; summi boni amor in voluntate, omnes aliarum rerum cognitiones & amores ac fruitionis antecellunt. Et inter cognitiones visio clara rei præsentis primum locum obtinet, ut etiam amor ac possessio rei præsentis. Hæc autem duo, in æterna felicitate circa Deum expectamus. Hîc verò procuranda sunt media ad illam beatitudinem obtinendam.

§. 2

De Mediis ad finem ultimum.

Media ad finem ultimum acquirendum sunt res omnes aliæ extra Deum, sive in nobis existentes, sive extra nos: etiam nos ipsi, si eis omnibus rectè utamur. In nobis sunt triplicia. Naturalia, insita, acquisita. Naturalia sunt omnia dona mentis & corporis. Insita seu infusa, sunt omnia Dei & spiritûs S. dona, & gratiæ omninò gratis datæ, & gratum facientes. Acquisita, sunt opera nostra & virtutum habitus inde nati. Quibus omnibus ad finem ultimum utendum est.

Actiones nostræ aliæ sunt interiores aliæ exteriores. Interiores aliæ in cognitione: ut actus intellectûs, imaginationis, & sensuum internorum, vel externorum, qui intellectui ad rectè cognoscendum serviunt. Alii verò in expetitione rerum consistunt, voluntatis scilicet; appetitûs sensitivi vel naturalis. Voluntatis actiones præcipuæ sunt, intentio: & postquam quis finem fuerit adeptus, quies in eo & fruitio. Mediorum verò est in illis consensus & electio, ac postea usus.

Appetitûs verò sensitivi affectus est duplex. Concupiscibilis ad quem, amor, odium, desiderium, abominatio, voluptas, & dolor, pertinent. Irascibilis, ad quem timor, audacia, spes, desperatio, ira.

Omnes autem hæ actiones, tam interiores quàm exteriores benè vel male fieri possunt, & sic fiunt actus virtutis, vel peccata. Nam si congruant cum ratione ac ultimo fine, bonæ sunt: sin minùs, malæ. Et quidem si bonæ fuerint, finem nostrum ac beatitudinem consequuntur: sin minùs, & illum amittemus, & in summam

mam miseriam ac damnationem incurremus.

Virtus, est bona mentis affectio. Seu qualitas nos reddens faciles & promptos ad opera bona secundùm rectam rationem facienda. Et hæc vel est acquisita ex iteratis actibus: vel infusa à Deo, quæ non facilitat, sed dat omninò posse actus suppernaturales efficere. Erit autem perfecta virtus, si opera ex vera charitate tendant in Deum.

Bonum opus est duplex, Naturale & Morale quod ex libero arbitrio pendet, & hoc ad rem nostram facit, & sic describi potest. Est actio, sive operatio virtutis. Vel, est operatio secundùm rectam rationem facta in mediocritate consistens. Est autem duplex. Unum purè morale & ex sola ratione. Alterum non ex sola ratione sed ex charitate propter Deum summè dilectum.

Perfectum opus non solùm debet esse bonum ex genere & objecto, sed etiam ex fine & circumstantiis, ut & objectum sit

bonum, & ad bonum finem referatur, & constantiæ debitæ, loci, temporis, modi, personæ, cum reliquis nimirum, ut fiat quomodo oportet. Neque enim satis est bona facere, sed oportet etiam benè facere. Aliud siquidem est, justum facere aliud justè. Benè autem res fit, si scienter non ignoranter fiat, si deliberatè & ex electione, non casu vel fortuitò, aut subito motu & cum perturbatione, si constanter & perseveranter, non timidè & inconstanter.

Bonum autem opus si ad DEum ex charitate summè dilectum referatur erit etiam meritorium. Quippe non solùm rectæ rationi congruum, sed etiam legi divinæ, eritq; idoneum ad beatitudinem consequendam. Porrò si ad finem ultimum nō referatur actu, non propterea malum erit censendum, etsi enim actu non referatur, tamen ex se referri potest quia habet proximum finem bonum, quod satis est ad bonitatem moralem. Et licet non includat finem ultimum, non tamen eum excludit nec ei adversatur aut ei repugnat.

Utrum-

Utrumq; hujuſmodi bonum duplex. Aliud ex ſe, jure ſcilicet naturali præceptum, ut ſubvenire egeno. Aliud leg bus humanis & divinis poſitione inſtitum, ut tributa pendere. Prius illud, præceptum eſt quia bonum. Hoc verò bonum, quia præceptum.

§. 3.

De impedimentis ad finem ultimum.

Malum opus eſt, vel naturæ, cùm illa aberrat in ſuis operib9 vel deficit, ut monſtri generatio: quæ ſolẽt dici peccata naturæ. Aut eſt malum morale contra rectam rationẽ, aut quod eſt pejus, contra legem Dei jam agnitam; hoc autem propriè peccatum eſt. Rurſum malum morale, aut, per ſe malum, ſcilicet ex objecto, quod nunquam poteſt fieri bonum, ut odium Dei, mendacium &c. Aut non per ſe malum, sed ex fine, vel circumſtãtiis, ut cùm aliquod opus bonum vel indifferens ad finem malum refertur: vel loco, tempore, modo, fit, quo non licet. Ut dare eleemosynam ad vanam glnriam, jejunare die Dominico. Nam poteſt eſſe malum non solùm ex defectu dictarum rerum,

rum, sed quia aliquâ lege prohibitum, & ita aliquid malum quia prohibitum: & aliquid prohibitum, quia malum, ut diximus de bono. *Peccatum* igitur, est, dictum, factum, concupitum contra legem *Dei*. Causæ peccatorum sunt tres. Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Item ignorantia, fragilitas, seu infirmitas, & malitia. Peccandi modi plures, sed ex causis desumuntur præcipui. Ex ignorantia, ex fragilitate, ex malitia.

Ignorantia est triplex. Invincibilis, Vincibilis quæ solet etiam vocari probabilis, Crassa, supina, vel affectata. Invincibilis est, quando quis non potuit scire vel si potuit, tamen non tenetur scire. Vincibilis est cùm potuit scire & debuit. Crassa, supina, affectata, pro eodem sumi solent, etsi aliquomodo differant. Nam crassa est cùm quis parvo negotio etiamsi rudis admodum, scire potuit. Supina cùm nimia desidia & negligentia scire prætermisit, dicitur supina quòd soleant supini sine ulla cura stertere. Affectata adhuc pe-

jor

jor cùm quis non vult ſcire ex electione, & ideò dicitur affectata, quia affectat illam ignorantiam. Excuſat à peccato toto, invincibilis. Excuſat ex parte vincibili, ſed minùs craſſa. Affectata verò facit peccatum gravius.

Effectus peccati ſunt, animæ macula, Reatus pœnæ. Intellectus cœcitas, voluntatis malitia, prava animi diſpoſitio, naturæ corruptio, depravatio aliarum potentiarum animi, ſeparatio à Deo, Dæmonis dominium in peccatorem. *Circumſtantiæ peccatorum* ſunt. Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Conſiderandæ neceſſariò ſunt circumſtantiæ quæ mutant ſpeciem. Sed etiam quæ non mutant ſed aggravant in infinitum, ut etiam in quibusdam caſibus, quantitas materiæ, conſvetudo, & alia nimiùm aggravantia. Etiamſi non in infinitum nec etiam mutant ſpeciem, ut in rapina, furto, parvo & magno, ob reſtitutionem. Diuturnitas & perſeverantia in actu, & alia ob alias cauſas.

Peccatum est duplex. Originale & actuale. Rursus hoc est duplex, Mortale & veniale. *Originale* sic à quibusdam descri- bitur. Est carentia rectitudinis gratiæ justitiæ originalis. Justititia originalis fuit illa, cujus amisſionis effectus, inimicitia cum Deo, expulsio ex paradyso, & à gloria æterna, subjectio dæmonis potestati, & in natura vulnera relicta, quæ vulnera sunt quatuor. Ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, inobedientia & rebellio in sensu, quam vocamus concupiscentiam. Mors & morbi naturalis corporis.

Mortale peccatum est quod privat gratiâ Dei seu charitate. Effectus peccati mortalis est, expellere gratiam seu charitatem, tollere jus ad gloriam, efficere inimicum Dei, & servum dæmonis, ac reum pænæ æternæ. Gradus quibus pervenitur ad peccatum mortale, sivead perfectum peccati actum, sunt sex. Suggestio, cogitatio, consensus in cogitationem, consensus in actum peccati, tandem ipse

actus.

actus. Ex iteratis autem actibus fit habitus & consuetudo, quæ cùm sit diuturna transit in naturam. *Peccata* mortalia quæ dicuntur capitalia, sunt septem. Et hâc dictione concluduntur, SALIGIA. Hoc est, superbia, avaritia, luxuria, ira, gula, invidia, acedia. Capitalia dicuntur, quia sunt cæterorum causæ. Et inter omnia superbia est Regina ob eandem rationem, quia ex illa omnia alia originem ducunt.

In spiritum S. *peccata sunt sex*. Præsumptio contra divinam justitiam, desperatio de divina misericordia. Impugnatio agnitæ veritatis ad liberiùs peccandum. Invidentia fraternæ gratiæ. Obstinatio in peccato. Finalis impænitentia, cùm quis statuit nunquam velle pœnitere. Dicuntur autem in Spiritum S. Quia excludunt media & dona gratiæ Spiritûs S. per quæ peccator à peccatis eripitur & evocatur.

Clamantia ad Deum seu petentia vindictam peccata sunt. Homicidium voluntarium. Peccatum Sodomiticum. Oppressio pauperum. Merces operariorum defraudata.

Filiæ

Filiæ peccatorum mortalium seu capitalium dicuntur quædam peccatorum species, quæ ex his septem sequuntur, & sunt quasi eorum effectus. Desumuntur ex D. Greg. 31. Moral. 31. Sed notandum quòd hic Divus, superbiam faciat ut Judicem & Reginam septem aliorum capitalium. Vanam verò gloriam primum capitalium. Atque ita quas dicimus filias superbiæ, ipse vocat vanæ gloriæ. *Superbiæ filiæ*, vana gloria, inobedientia, jactantia, præsumptio novitatum, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia. *Avaritiæ*, fraus, fallacia, pertinacia, inquietudo, violentia, proditio, obstinatio cordis, contra misericordiam. *Luxuriæ*, cœcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio consilii, amor sui, amor seu affectus præsentis sæculi, horror & desperatio futuri, odium DEI. *Iræ*, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia. *Gulæ*, inepta lætitia, scurrilitas, multiloquium, hebetudo sensûs & intelligentiæ, immunditia. *Invidiæ*,

diæ, odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis, afflictio seu mœror in prosperis proximi. *Acediæ*, Rancor, pusillanimitas, torpor circa Divina præcepta, Desperatio, vagatio mentis circa illicita.

Peccatum veniale non expellit charitatem sed est præter legem Dei. Minuit fervorem charitatis, meretur pœnam temporalem, præparat ad mortale. Ad mortale requiritur ut sit actus perfectus contra Deum, vel proximi charitatem, vel contra justitiam, vel contra Decalogum. Mortale item est quod Ecclesia vel consensus Doctorum definit esse mortale, vel ex sacris literis inter mortalia esse colligitur. Veniale verò erit, si non sit contra hæc: vel si sit, tamen non sit actus perfectus, hoc est, omninò deliberatus, vel materia sit parva, ut si quis furaretur obolum vel aciculam; sed hæc in materia venerea non datur.

Confiteri venialia non est de necessitate, nisi alia desint & confiteri sit necesse.

Nolle

Nolle tamen confiteri venialia, non est bona sed mala voluntas.

PARS I.

De Virtutibus Theologicis.

CAPUT I.

De Virtutibus in particulari & vitiis oppositis, ac primò de Fide.

HActenus de bonis ac malis operibus, virtute ac vitio in genere. Jam de singulis in particulari, ac primò de Virtutibus ac Operibus nostris circa Deum quæ sunt, in intellectu quidem Fides, in voluntate autem Spes & Charitas.

§. I.

De Fide & ejus objecto.

Fides est, ut ait D. Paulus, substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, Id est. Habitus quo inchoatur in nobis vita æterna faciens ut assentiamur non apparentibus. Vel, est virtus in-

fusa,

fusa, per quam firmiter adhæremus omnibus quæ sunt revelata à Deo.

Objectum ejus, *Materiale* quidem sunt res omnes quas credimus. *Formale* verò, quia revelatæ sunt à DEO. Revelationi autem credimus quia revelatio est à Deo qui est prima & suprema veritas. Actus interior fidei est credere: exterior, fidem confiteri. Credere dicimur Deo, scilicet revelanti. Credimus Deum, id est, esse Deum. Credimus in Deum, id est, contendimus in eum ferri amore.

§. 2.

De Vitiis Fidei oppositis, & primò De infidelitate.

Vitia Fidei opposita sunt, Infidelitas, Hæresis & Apostasia. Nam aut aliquis nunquam habuit fidem, & est *infidelis*. Aut suscepit fidem & deseruit, & quidem si à tota fide discessit, est *Apostata* à fide. Si in uno tantùm articulo vel pluribus, est *Hæresis*.

Infidelitas duplex est. Altera negativa, cùm quis omninò ignorat fidem, nec prædi-

prædicationem ejus audivit. Altera pravæ dispositionis, cùm quis audivit fidem, sed repugnat, nec eam vult recipere. Infidelitas sumitur & latè, & complectitur Hæresim & Apostasiam, & tunc nihil aliud erit quàm negatio Fidei. Propriè verò & strictè accepta est in eo, quod fidem quis non accepit.

§. 3.
De Hæresi.

Hæresis est error contra fidem cum pertinacia. In hoc autem differt error ab hæresi, quòd in hæresi est pertinacia non quæcunque, sed contra Ecclesiam aut fidem. In errore verò sola est falsitas, tamen cum obedientia Ecclesiæ, ita ut si sciret tenere contrarium Ecclesiã, etiam ipse cum Ecclesia sentiret. Unde D. Augustinus. *Errare*, inquit, *possum, sed non esse hæreticus*, Cùm igitur aliquis est paratus ad obediendum Ecclesiæ ad credendum, si ex ignorantia deceptus errat, erit error, & solùm *materialis hæresis* sed nota. Aliud esse obsti-

obstinationem, aliud pertinaciam. Nomine *Pertinaciæ* intelligimus, si quis etsi unico actu non credat, fiatque hæreticus, sed admonitus & correptus resipiscat. *Obstinatus* autem est, qui firmus est in malo seu errore & admonitus perseverat.

Differunt etiam, dogma erroneum, temerarium, impium, scandalosum, malè sonans, periculosum, suspectum de Hæresi, & Hæreticum, ut etiam ex vi & energia ipsorum verborum potest colligi: sed quæres.

1. *Dubius in Fide estne Hæreticus*, vel Infidelis dicendus? Resp. Duplex esse dubium, si quis affirmet dubium esse quod Ecclesia credit, v. g. Transubstantiationem, & est propriè hæresis. Negativum, nihil affirmans, v. g. si quis fluctuat in mente nihil tamen statuendo, & hoc non est hæresis, sed Fidei infirmitas.

Pœna Hæreticorum est multiplex, ipso facto sunt excommunicati, Irregulares, privantur bonis, omni dignitate, jurisdictione, & officio, & Beneficiis. Subditi libe-

liberantur ab eorum ſubjectione, ſervitio, & fidelitatis debitæ, non ſepeliuntur in locis ſacris niſi reſipuerint, & fuerint abſoluti ante mortem. Deniq; poſſunt juſtè puniri non ſolùm pœnâ pecuniariâ & exilii, ſed etiam capitis & ignis. Non ſolùm Hæretici ſunt excommunicati, ſed etiam iis faventes, credentes, receptatores, defenſores, legentes libros eorum vel tenentes, imprimentes, & quomodolibet defendentes. Credentes Hæreticorum dicuntur, qui licet in particulari neſciant hæreſes quas illi affirmant, tamen in genere credunt illos rectè dicere ac ſcribere & ita implicitè credunt, quòd illi explicitè. Credentes igitur dicuntur, qui verè vel falſe ſe oſtendunt credere quod alii credunt, dummodò etiam ita mente ſentiant.

2. *Inciditne in Excommunicationem quis propter ſolam mentalem hæreſim?* Reſp. Non, nec propter ſolum externum actum ſi interiùs non conſentit, ſed tamen ſi conſenſerit internè in hæreſim, & exteriùs

quovis

quovis signo manifestet etsi occulto, est excommunicatus.

Reconciliantur autem Hæretici, Schismatici & Apostatæ juxta formam Romanæ Ecclesiæ. Errorem abjurant, & sub juramento promittunt se ampliùs ad hæresim non redituros, sed obedituros mandatis Romani Pontificis, & Ecclesiæ authoritatem secuturos.

§. 4.
De Schismate.

Schisma non est Hæresis, neque fidei, sed unioni Charitatis opponitur, ac unioni potestatis Ecclesiasticæ, potestatem enim Ecclesiæ dissolvit nolens subesse uni capiti nam per potestatem subordinatam usq; ad unum, id est, ad Papam, unitas Ecclesiastica servatur.

Duplex est Schisma. Alterum, ex hæresi proveniens; cùm credit non esse unum in Ecclesia caput, quod Schisma est cum hæresi mixtum. Alterum ex inobedientia sola & rebellione subtrahens se ab obedien-

dientia, & à summa potestate & capite Ecclesiæ, quod purum Schisma dicitur.

Differt Schisma ab Hæresi in hoc propriè, quòd Schisma per se unitati Ecclesiæ adversatur: Hæresis veritati Fidei. Hinc hæresis perversum dogma habet, Schisma ab Ecclesia separat.

Poena Schismatici est, privari usu Ordinis & Jurisdictionis, etsi enim ei maneat potestas Ordinis in Sacramenta, peccat tamen si illâ utatur. Potestas Jurisdictionis omninò adimitur. Præterea omnes excommunicantur Schismatici, privantur etiam administratione temporali. Et sunt etiam suspensi, & possunt puniri pœnâ corporali, & pecuniariâ.

§. 5.

De Apostasia.

Apostata idem est quòd desertor ac transfuga. Est autem Apostasia discessio ab eo cui quis jure tenebatur, sive addictus erat. Apostasia *est triplex.* A fide, à Christo, & lege DEI, à Religione. *A fide est,*

est, cùm quis susceptam fidem deserit, quæ præcipuè dicitur Apostasia, talis fuit Julianus, dictus ideo; Apostata. Ab *obedientia* Dei, cùm quis recedit à Deo & præceptis ejus nolens ei ullo modo servire, quod genus ex parte in omni peccato reperitur. Sed tum perfecta, si quis à tota lege & præceptis ejus in omnibus recedit ex electione, ut recessit dæmon. Est autem superbia initium apostatandi à Deo. A *Religione*, est discessio à Religione ubi consilia Evangelica ex voti obligatione servantur. Interdum latè sumpto vocabulo, & sacris initiati si ab eo statu discesserint, dicuntur Apostatæ, nimirum cùm deposito habitu & tonsurâ, & officio, ad sæcularia negotia redeunt.

Poena Apostasiæ à fide, in foro externo eadem quæ Hæresis, & modus reconciliandi Apostatam consimilis est.

CA-

CAPUT II.

De spe, & illi contrariis.

§. 1.

De Spe.

SPes *est duplex.* Vel affectus erga bonum futurum desideratum, sicut timor erga futurum malum. Vel est *virtus Theologica*, & hæc est virtus infusa, per quam speramus à Deo vitam æternam, mediantibus primùm quidem mortis Christi meritis, deinde nostris, quæ ex Dei gratia & nobis pariter proveniunt. Vel, est certa expectatio futuræ beatitudinis proveniens ex Dei gratia & meritis nostris.

Objectum proximum & *Materiale* est ea quam speramus Beatitudo, & media ad illam consequendam quæ etiam speramus ut à Deo danda sunt, & ita ultimum objectum est ipse Deus in quem speramus, & à quo hæc nos consecuturos confidimus. *Actus spei* est sperare in Deo. Est autem duplex. Alter *Mercenarius*, alter *Filialis*: sicut est duplex timor, *Servilis* & *Filialis*.

Merce-

Mercenarius cùm ob ſolum præmium ſervimus ut ſervi Domino. *Filialis* verò cùm tanquam Filius Patri ingenuè ſervit, licet se ab illo hæreditatem habiturum ſperet.

Fiducia videtur eſſe actus ſpei, ſed tamen differt ab actu ſpei. Quia ſpes reſpicit tum rem quam ſperamus, tum eum à quo danda eſt, ſeu cauſam efficientem rei. Fiducia verò ſolùm eum qui daturus eſt vel facturus. Et ita fiducia eſt in Deo ex charitate & amore nata tanquam in bono & miſericorde & amico, & facturo id quod deſideramus. Proinde fiducia addit robur Spei.

§. 2.

De Vitiis Spei oppoſitis.

Virtuti Spei duo vitia opponuntur. Alterum in defectu, ſcilicet *deſperatio*, alterum in exceſſu ſcilicet *præſumptio*, ſeu vana ſpes & fiducia falſa.

Deſperatio eſt vitium quo diffidimus de Deo & ejus gratia. Virtutesq; à Deo datas ad beati-

beatitudinem consequendam desperamus vel media ad illam consequendam. *Præsumptio* est, quâ confidimus nos sine mediis à Deo constitutis ad ipsam gloriam perventuros. Hoc est, sine pœnitentia & bonis operibus, vel sine Dei gratia & auxilio. Utrumque autem vitium est contra Spiritum S. Nam desperatio est contra Divinam misericordiam. Præsumptio contra Divinam justitiam.

CAPUT III.

De Charitate & Vitiis oppositis.

§. I.

De Charitate.

C*Haritas* est virtus infusa à Deo, quâ DEum propter seipsum super omnia diligimus, & reliqua propter DEum. *Objectum* est Deus ipse quem primò & summè diligit. Et ratio sub qua illum diligit, est summa ejus bonitas & perfectio. Quamobrem immediatè & proximè quatenus est finis ultimus, in eum tendit. Hinc fit

fit quod sit perfectissima virtus omnium, non solùm moralium, sed etiam intellectualium, imò & Theologicarum. Quod D. Paulus ad Hebr. ostendit. Nunc enim sunt hæc: Fides, spes, charitas: major autem horum charitas. Estque finis præcepti charitas, de corde puro & fide non ficta. Hinc fit, ut cùm sit Regina Virtutum imperet omnibus, quia omnes virtutes & earum actiones refert ad finem ultimum quem summè diligit. Est enim principium & efficiens Dei amor omnes virtutes generans. Ipsa etiam dicitur & est forma, quia omnibus præscribit agendi modum propter Deum & finem ultimum. Et ita facit omnes ex humanis virtutibus divinas, & alterius vitæ meritorias.

Actus charitatis, Alii sunt *eliciti* & proprii, ut amor Dei, eo quod ex amore nascitur Gaudium & Pax in Spiritu S. & complacentia, sive quies in Deo. Secundus Amor Dei, & varii mentis affectus in Deum ex ejus amore nati, Deinde amor creatu-

rarum Dei, quia Dei sunt. Alii sunt *actus imperati*, omniũ videlicet aliarum virtutũ, ut Religionis ad cultum ipsius Dei, qualis est Laus Dei, adoratio, veneratio, cum cæteris. Vel erga proximum, ut eleemosyna, misericordia, beneficentia, cum cæteris.

Præcepta autem charitatis duo summa & maxima sunt. Diliges Dominum DEum ex toto corde, ex tota anima, tota mente, omnibus viribus, totâ fortitudine. Diliges proximum tuum propter Deum ipsum ut teipsum. *Ordo* charitatis ex D. August. lib. 1. de doctr. Christ. hic est. Ut 1. Deus diligatur. 2. Anima nostra. 3. Anima proximi. 4. Corpus nostrum. 5. Corpus proximi. Inter proximos autem priùs diligendi sunt Angeli & Beati, quia Deo sunt conjunctiores: deinde Justi, postea Peccatores, ultimò infideles, scilicet non solùm amici, sed & inimici.

§. 2.

De Dilectione Inimicorum.

Petes 1. *Tenemurne inimicos diligere ex charitate sub præcepto?* Resp. Esse distin-

gven-

gvendum cum S. Th. 2. 2. q. 21. a. 8. In inimico & est peccatum, & natura. Quatenus ergo inimicus est, non est diligendus, quia esse inimicum est peccatum. Quatenus verò est homo & Dei creatura, non tenemur etiam eum diligere in speciali, scilicet actu expresso dilectionis. Nam neque alios homines sic obligamur diligere nisi in præparatione, id est, ut simus ad hoc parati ubi necessitas sic postulaverit diligere. Extra necessitatem etiam diligere est sub præcepto quantum ad naturam in universali ut scilicet diligamus Deum & proximum, in generalitate dilectionis proximi, non excludendo inimicos. Itaque diligere inimicum specialiter est perfectionis & consilii, non autem præcepti.

2. *Tenemurne inimicis affectus & signa dilectionis exhibere?* Resp. ex eodem S. Th. loc. cit. quod sicut homo omnis teneatur diligere in communi, & non in actu speciali nisi secundùm præparationem animi, ita & de signis & beneficiis dicendum.

3. *Tenemurne illis exhibere affectus & signa dilectionis?* Resp. Quæ in communi proximis exhibemus, ut cùm quis orat pro omnibus fidelibus & pro toto populo. Vel cùm aliquis beneficium impendit toti communitati, non debet inimicos ab eis excludere, aliter si fiat, pertinet ad livorem vindictæ. Specialia verò beneficia, vel signa dilectionis quæ quis aliquibus peculialiter exhibet, non est necessarium, nisi secundùm præparationem animi, ut scilicet juvetur in articulo necessitatis, extra quam necessitatem & inimicis prodesse, esset perfectionis.

§. 3.

De eleemosyna.

Inter alios actus charitatis erga proximum, unus & præcipuus misericordia, & *eleemosyna* erga eos qui necessitatem patiuntur. De cujus obligatione hîc dicemus.

Petes 1. *Quis cui teneatur dare eleemosynam?* Resp. Cum distinctione. Necessitas

est triplex. Extrema, arcta seu gravis, & communis. Existenti in extrema vel gravi necessitate omnes tenentur dare, qui possunt. In communi est consilii, non præcepti. At verò omnis dives in genere tenetur dare aliquam & aliquando saltem eleemosynam, indeterminatè quidem cui, & quando volet, sed tamen aliquam. Quare etsi non aliæ occurrerent necessitates quàm communes, quæ vix unquam desunt, deberet tamen aliquam dare.

2. *Quantum tenentur dare Ecclesiastici ex reditibus Ecclesiasticis?* Resp. Quæ illis supersunt extra decentiam statûs & officii tenentur dare vel pauperbus, vel in pios usus erogare.

3. *Tenenturne Eclesiastici restituere si proventus malè expenderint?* Resp. Aliqui DD. putant eos verè Dominos, & non magis ad restituendũ teneri quàm sæculares si malè suos reditus profuderint, verùm passim SS. Patres, negãt illos esse Dominos sed dispensatores. ac proinde teneri ad restitutionem. Et hæc sententia est tutior. Si enim

Domini essent, non tenerentur quod illis superest luxu dempto in pias causas erogare, at verò tenentur.

§. 4.

De Operibus extra charitatem factis.

Quæres. *Valentne opera bona extra charitatem facta?* Resp. Non merentur quidem gratiam & vitam æternam, sed valent inter alia ad hæc septem. 1. Ad temporalia præmia, & prosperitatem impetrandam. 2. Ut inducantur in cognitionem peccati & ad pœnitentiam, & ut Deus ad id magis auxilium largiatur, atq; adeò præparant, licet remotè, ad justificationem. 3. Ut ex illis acquiramus benè operandi consvetudinem. 4. Ut impleatur præceptũ nobis ad hæc impositum. 5. Cùm quis fuerit morti vicinus gaudebit se benè egisse. 6. Quia minorem in nos potestatem dæmon habebit. 7. Valent ad tolerabilius futurum judicium, sive id fiat, quod impediverunt peccata alia comissionis vel omissionis quæ aliàs non fecissent: Vel, ut alii dicunt quia aliquâ ratione pro

pœna

pœna temporali sic satisfit, & divina misericordia ad condonandum inclinatur.

§. 5.

De Vitiis charitati contrariis.

Charitati vitia contraria sunt per singulos charitatis actus. Odium Dei vel proximi charitati contradicit. Invidia & malevolentia opposita benevolentiæ. Bellum & rixa opposita paci & concordiæ. Tristitia spirituali gaudio. Et ita in cæteris actibus. In genere contra charitatem erga Deum duo vitia videri possunt. Alterum quasi in *excessu*, diligendo Deum imprudenter; vel ex causa, aut ob causam indebitam. Alterum *in defectu*, cùm à recta Dei dilectione deficimus, Deum contemnimus, vel negligimus usque ad ultimum odium Dei.

CAPUT IV.

De Religione erga Dei cultum.

§. 1.

De Virtute Religionis.

EST etiam virtus erga Deum præter

Theologicas, ſcilicet *Religio*, quâ licet Deum non attingimus tanquam obje-ctum, quod eſt proprium virtutum Theologicarum, tamen illum colimus ut finem, ac veneramur tanquam ultimum inter-mediâ aliquâ creaturâ, quocirca etſi ſit virtus moralis, tamen poſt Theologicas ponitur.

Religionem aliqui dictam volunt, à relegendo, quòd, quæ ad Dei cultum pertinent, diligenter tractet ac relegat. Alii ut Lactant: à religando, quod nos animosq; noſtros Deo religet. Alii reeligendo, quòd Deum quem per peccatum amiſimus, iterum reeligamus. Neque deſunt, qui à relinquendo dictam velint, quòd relictis omnibus vir Religioſus Deo vacet. Inde factum fuit ut Religionis Nomen ſtrictiùs uſurparetur pro illo vitæ ſtatu in quo ſe totum Deo ac Religioni, Deique cultui dedicant. Verùm de ſtatu Religionis non agimus modò, ſed de virtute.

Religio igitur eſt virtus, quæ Deo debitum cultum primò exhibet, deinde ſanctis ſuîs

suis ut Dei amicis, atque ita sub se continet Latriam, Duliam, & Hyperduliam. *Latria* est cultus qui debetur tanquā primo principio soli Deo. *Dulia* cultus qui debetur servis Dei Sanctis & Beatis quatenus sunt amici Dei & cum ipso summo Deo maximâ conjunctione juncti, ejusque Divinitatis participes effecti. *Hyperdulia* est cultus major quàm Dulia & minor quàm Latria. Beatissimæ Virgini debetur quatenùs est Mater Dei, & super omnes choros Angelorum, Beatorumque collocata.

§. 2.

De Actibus Religionis.

Actus Religionis vel sunt interni, vel externi. *Interiores* præcipui sunt, Devotio & Oratio. *Exteriores*, Adoratio, Oblatio, & sacrificium, primitiæ, Decimæ, Votum, Juramentum. *Devotio* est actus interior voluntatis quo prompta redditur ad Dei obsequium & cultum. S. Th. 2. 2. q. 82. Est autem duplex. Una communi usu dicta devotio, per quam intelligitur affectus quidam

tenerior in Dei cultu ac servitio, quæ devotio sensibilis solet appellari. Altera verò dicta propriè devotio, quæ licet careat hâc suavitate, habet tamen in Dei servitio firmitatem ac promptitudinem.

Oratio est ascensus, seu elevatio mentis in Deum cum petitione decentium. Extenditur autem & ad preces. A Deo petimus, ut misericorditer v. g. donet. A Sanctis verò ut intercedant & impetrent. In largiriori sensu sumpta oratio complectitur petitionem, gratiarum actionem, obsecrationes, & laudem Dei ac ipsam quoq; elevationem mentis in Deum; imò & intellectûs, meditationem, contemplationem. Estque oratio duplex, alia mentalis, alia vocalis.

Adoratio exterior est actus per quem corporis obsequio externo exhibemus reverentiam & honorem Deo. *Interior* verò quâ mente reverentiam Deo exhibemus, animam prosternendo & inclinando.

Sacrificium est oblatio rei alicujus ex qua fit aliquod sacrum in Dei cultum, ut

vel comburatur, vel consumatur, vel dispergatur. *Oblatio* exterior est, quâ res nostras in Dei cultum exhibemus. Interior, quâ nostram ipsam mentem Deo offerimus, & per mentem alia. Differunt âutem sacrificium & oblatio, tanquam superius & inferius. Nam oblatio est genus ad sacrificium, omne enim sacrificium est oblatio, non è contrà. Simplex autem oblatio est quæ communi nomine vocari solet oblatio, cùm scilicet res Deo offertur in ejus honorem etiamsi nihil aliud circa eam rem fiat, non comburatur, non destruatur.

Primitiæ sunt oblationes quæ Deo de fructibus terræ primis vel aliis tanquam primis offeruntur in recognitionem divini beneficii tanquam terræ & fructuum Domini.

Decimæ sunt quæ dantur ad necessitatē & decentem sustentationem ministrorum Dei, qui ad ejus cultum necessarii sunt. Decimæ sunt juris divini. Quòd verò decima pars debeat esse, aut major, aut minor,

eſt juris poſitivi. Et ideò Regnorum conſvetudini ſtandum.

§. 3.

De Voto.

Votum eſt promiſſio Deo facta de meliori bono. Non eſt autem votum, propoſitum ſolum, vel ſignificatio propoſiti; V. g. Faciam, no nfaciam, ſed eſt promisſio. Eſt autem promiſio, cùm quis enuntiat ſe facturum in gratiam alterius aliquid in ducens ſuper ſe obligationem ac debitum erga alterum cui promiſit. Et ita Votum erga Deum eſt promiſſio illi facta. Dixi. *De meliori bono*, id eſt bonæ rei : nam promisſio rei malæ non eſt votum, ſed potiùs ſacrilegium, vel blasphemia.

Votum eſt duplex. Deliberatum, & Inde liberatum, & Deliberatum fictum, aut verum. Et verum, aut eſt commune omnium Chriſtianorum in Baptiſmo, ſicut plerique volunt, aut particulare ſimplex vel ſolenne. Simplex aut abſolutè, aut conditionatè, & tam hoc quàm illud dividitur, in Privatum & Publicum.

Solenne est Sacerdotum, scilicet castitatis. Religiosorum autem triplex, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, de Religiosis Societatis nostræ habetur speciale quiddam. *Differunt votum simplex & solenne in sex.* 1. Quòd in solenni consecretur Persona ita, ut semper maneat consecrata per tale votum, non item in simplici. 2. In solenni non sola est traditio, sed & acceptatio nomine Dei ab Ecclesia, & possessio rei irrevocabilis & perpetua. In simplici voto vel sola promissio, vel etiam traditio, sed non acceptatio Ecclesiæ, nec perpetua possessio. 3. Solenne votum Castitatis sive in Religione, sive in Ordine factum, impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. Simplex impedit contrahendum, sed non dirimit contractum. 4. Juxta quosdam Theologos, in solenni non potest fieri dispensatio: in simplici potest. Juxta verò Canonistas & alios DD. potest etiam dispensari in solenni à summo Pontifice ex aliqua causa, quod etiam usu comprobatum est.

Au-

Auferri obligatio voti potest quinque modis. 1. *Cessatione* voti, cùm omninò factum est impossibile, vel malum in perpetuum, si autem ad tempus, differtur votum non tollitur. 2. *Irritatione*, cum illi qui habent potestatem in rem, quam alter vovet, non consentiunt, ut Dominus in voto Servi, vir in uxoris, Prælatus in Religiosi sui, Pater in Filii. Quod fit, si statim ut resciverit, improbet votum. 3. *Dispensatione*, cùm ex justa causa voti obligatio aufertur ab eo, qui habet potestatem auferendi. 4. *Commutatione*, cùm obligatio unius rei transfertur in aliam æqualem, vel quasi æqualem. 5. *Declaratione*, cùm declaratur non fuisse votum, vel non obligare, & hæc duplex potest esse. Privata, à Doctore privato, publica à potestate publica, quæ quia est Juridica, longè est tutior, & obligat inferiorem ad superioris judicio acquiescendum.

Dispensare in voto solenni, & in voto simplici castitatis perpetuæ, ingressûs Religionis, peregrinationis in Jerusalem, ad

limina

limina SS. Apostolorum Romam, & S. Jacobi Compostellam, solùs potest summus Pontifex, in aliis verò Episcopus.

§. 4.

Regulæ ad ferendum de voto judicium.

1. Videndum est cujusmodi sit *res quæ vovetur*, & quis vovendi modus: nam, si res, quam quis vovet, est impossibilis, aut necessaria simpliciter, tum votum est stultum. Si possibilis est, aut est bona, aut mala, aut indifferens. Indifferentis est votum vanum. Malæ rei, scilicet, peccati mortalis, aut venialis, est impium. Si alicujus mali contra alterum, comminatio est potiùs quàm votum. Si bonæ rei, ut observatio alicujus præcepti, verum est votum & bonum. Item si consilii, & hoc propriè votum est ad melius. Si neque consilii neq; præcepti, ut cùm aliquis vovit Uxorem ducere, si hoc in genere facit, non obligatur, nec etiam, si speciatim ducendi hanc vel illam, nisi aliquid subsit præcepti vel consilii, ut ad vitandam fornicationem, ad sublevandã inopiam alicujus

cujus mulieris. De opposito verò consiliorum, ut non ingrediendi Religionem, non dandi eleemosynam, est impium, imò resistens Spiritui S. *Ex modo vovendi* videndum est, an votum deliberatum aut indeliberatum, an verum aut fictum. Absolutum, vel conditionatum, & sic de cæteris differentiis.

2. Videndum, an obliget, nec ne? quanta autem sit obligatio voti facti, ex duobus cognosci potest & dijudicari. Ex vi verborum voti, & ex animo seu intentione se obligantis. Nullus enim magis est obligatus quàm voluit & intendebat se obligare. Si verò constat expressa obligationis talis intentio, illa erit sequenda. Si non constat, tum vis verborum est spectanda. In foro exteriori verba potiùs spectantur, & ex illis colligitur intentio nisi aliunde constiterit.

§. 5.

De singulis casibus voti.

Quæres 1. *Tenentne vota indeliberate facta?* Resp. Si sint omninò indeliberata, nec

nec tenent, nec obligant. Si semideliberata, in re facili videntur inducere obligationem, sed in re graviore non ita, nisi postea qui vovit rata habuerit, quia cum tali consensu ex indeliberato faceret deliberatum. 2. *Si ex passione, ut ita, angustia, furore, timore, vel aliâ perturbatione sit factum votum, tenetne?* Resp. Aut passionis magnitudo, ita turbavit judicium, ut nesciret quid faceret, & tunc non tenet votum. Aut non turbavit, & cum judicio faciebat, & tum votum tenet. Esset tamen causa cur in eo dispensaretur, si mox pæniteret fecisse & peteret dispensari.

3. *Tenetne votum solâ mente factum Deo?* Resp. Tenet. Sed si solùm externè vovet, & nescit, quid sit, aut quale, aut non advertit? non tenet.

4. *Si nesciens quàm gravis sit, quanta res sit, quamq; ardua, quam promittit: aut certè non benè aut plenè id sciens, ut juvenis emittens professionem, vel suscipiens Sacros Ordines?* Resp. Tenet, ut mox explicamus. Sed quid si eo animo fecisset votum, ut si scivisset

visset illa gravamina nunquam votum emisisset? Resp. Distingvendo. Aut quo tempore vovit eo fovit animo, aut postea gravatus pondere voti. Si postea, tenet votum priùs factum. Et quodsi pœniteat de voto facto & nolit fecisse: peccat. Si autem quo tempore vovit, rursus distingvendum. Aut hæc gravia pertinent ad objectum voti, ut v. g. Si sit arctior Religio, & dictum ei, esse laxiorem, & non habere tales vel tales observantias, & post ingressum invenit totum contrarium, tale votum non tenet, quia objectum voti est mutatum. Aut non pertinebant ad objectum voti, sed sunt quædam aliæ circumstantiæ, & tunc tenet votum factum, etiamsi tali esset animo ut si id scivisset nunquam tale votum emisisset.

5. *Quid si quis voveat animo promittendi, sed non adimplendi.*? Resp. Peccat, & manet obligatus. *Si animo promittendi, & non se obligandi*? Tenet. Et seipsum decipit putans se posse à promissione aufferre obligationem.

6. *Quid si*

6. *Quid si aliquis exteriùs promittat, sed non interiùs?* Resp. Apud Deum non tenet votum. Sed talis committit sacrilegium. Apud Eclesiam verò tenet.

7. *Quid si vovetur res mala, vel indifferens?* Resp. non tenet votum, sed vovens peccat. Malæ verò rei est votum impium, sacrilegum, blasphemum. Indifferentis, vanum.

8. *Quid si votum sit rei bonæ sed ob malum finem?* Resp. Dist. Vel ipsamet relatio rei talis ad malum finem illum cadit sub voto, ut si quis voverit se facturũ sacrum ad petendam à Deo inimici mortem, tunc non tenet. Imò tunc vovens graviter peccat. Vel non cadit illa relatio ad malum finem sub voto, sed vovet rem per se, motus tamen & impulsus ab illo fine malo, tunc tenet. Ut si quis voveat Religionem impulsus ambitione dignitatis obtinendæ, vel ob honorem quem inde sperat, votum est ratum.

9. *Quid si sit votum rei bonæ, sed factum postea impossibile, vel minùs bonæ, vel nocivæ?*

Resp.

Resp. Quam diu talis durat impossibilitas cessat voti executio, similiter quamdiu durat nocumentum.

10. *Quòd si sit indeterminatum votum non præfixo tempore expletionis?* Resp. Obligat ad explendum cùm fuerit moraliter commoditas explendi.

11. *Quid si determinatum fuit certum tempus, aut certus dies vel hora, quæ jam præteriit?* Resp. Distingvenda intentio. Nam, si ita se volebat obligare in mente, ut omninò faceret, sed tamen præscribebat tempus ad hoc solùm ne ampliùs differet, ut v. g. de ingressu Religionis, tunc etiam transacto & tempore obligat. Ad si destinabat talem diem vel horam solam illius voti explendi, ut jejunii, orationis, &c. Ut post illud tempus votum non teneret, fuit quidem transgressor voti, sed non tenetur ampliùs.

§. 6.

De Voto conditionato.

Votum conditionatum, & ejus obligatio dependet ex duobus. *Ex re* quæ vovetur,

&

& ex conditionum diversitate. Ex re quæ vovetur, idem prorsùs ferendum judicium quod de voto Absoluto, ac modo quo suprà diximus. Ex *conditione* verò hoc modo. Si conditio posita est impossibilis, non tenet, & est irrisorium Dei & impium. Si conditio necessaria, stultum est votum, sed tenet. Si bona, expletâ conditione tenet. Si indifferens, expletâ conditione tenet, sed peccat, rem nihili tantæ rei quanta est votum annectens. Si ex illa votum pendere velit tanquam impetrandam à Deo per votum, tum blasphemia potiùs est quàm votum, nec tenet.

Si malæ rei conditio est apposita, sensus est voventis spectandus. Nam si adhibita est tanquam rei à Deo impetrandæ per votum, v. g. si occidero inimicum, blasphemia potiùs est quàm votum, quo circa irritum est. Seu in gratiarum actionem rei turpis vel injustæ, ut in compensationem beneficii si illud impetraverit, sacrilegum est votum & nullum. Si fiat votum conditionale in pœnam peccati, ut si labi

con-

contingat: vel in remedium præservant à peccato, legitimum est votum, & tenet. Si sub eventu fortuito, si hoc vel illud evenerit, hoc quoq; votum ratum est.

§. 7.

De voto Religionis & Castitatis.

Qui vovit Religionem in genere, tenetur ingredi, probaturus ac probandus. Et si non admittatur in una, tenetur aliquot ejus Provinciæ, vel propinquæ Religiones adire, utpote, tres, quatuor, aut quinque. Nam votum quamvis ex vi & rigore verborum (*Voveo Religionem*) obliget ingredi hanc vel illam, vel deniq; aliam: tamen ex communi voluntate hominum, non se extendit intentio, nisi ad aliquam earum Religionum, & quidem quas novit quis in sua Provincia aut propinqua Regione ad quam sine gravi dispendio possit accedere.

Qui vovit hanc vel illam Religionem in particulari, ut puta, S. Dominici, S. Francisci, similiter tenetur ingredi probaturus, & probandus. Et si in uno monasterio non admitteretur, teneretur adire suæ Provinciæ

tria

tria vel quatuor vel quinque Monasteria ejusdem Ordinis: vel saltem à superiore locali, vel Provinciali repulsam pati.

Si hoc vel illud Monasterium quis vovit in particulari, tenetur tentare in eodem admitti, quodsi legitima ei repulsa detur, non videtur ampliùs obligatus ut iterum petat ingressum.

Quodsi voverit Religionem; vel 2. ingredi Religionem, vel 3. dicit se non solùm ingressurum sed etiam perseveraturum in Religione perpetuò, vel 4. ingressurum & emissurum professionem in ea Religione? Resp. Ejusdem rei obligatio est in omnibus his vovendi modis, quia in omnibus intelligitur debere ingredi probaturus ac probandus. Sed gradu quodam differunt, ut ejusdem rei major sit in uno quàm in alio obligatio, in tertio namq; & in quarto numero delibe- ratio videtur, præsertim si postquam ingressus fuit. Sed quartum addit supra tertium, quòd expressè promisit se emissurum vota illius Religionis, quod tertium in virtute solùm in ipsa perseverantia promitte-

mittebat. Sed tam hæc perseverantia quàm vota futura Religionis emittenda in primis quoq; duobus continentur in virtute. Itaq; ejusdem rei obligatio est in omnibus, sed ut dixi, gradu quodam differunt.

Quid si ducas uxorem votum Religionis habens? Resp. Peccat mortaliter sic contrahendo, & ante consummationem tenetur adhuc Religionem ingredi relictâ uxore, & similiter mortuâ uxore post consummationem. Sed nihilominus Matrimonium tenet, & postquam consummavit semel poterit postea licitè petere & reddere. Quia votum Religionis non est votum castitatis, neque expressè continet castitatem, sicut nec paupertatem, nec obedientiam, & liberum novitio ante professionem religiosam si non placet deserere. Sed expressè vovet tantùm statum Religiosum, in quo postea, si perseveraverit, sit emissurus vota Paupertatis, & castitatis, & obedientiæ.

Quodsi è contrà habens uxorem voveat Religionem, aut ingrediatur & faciat professionem?

nem? Resp. Si nondum consummato Matrimonio, tenetur ingredi, si vovit. Si consummato, non potest nisi de alterius consensu, quem alter dare non potest, nisi ipse quoque voveat castitatem, & cùm timetur periculum fornicationis, nisi uterque ingrediatur Religionem. Quodsi alter adulter fuerit, tunc innocens potest ingredi etiam altero invito, sed priùs faciendum est divortium.

Si alter putans alterum esse mortuum ingressus est Religionem, aut ingredi vovit? Resp. Tenet. At si eo animo erant, ut si constaret conjugem vivere, nollet vovere, nec ingredi, sive uterque, sive alter? Qui tali fuit animo, suo voto non tenetur, nec etiam ingressus, & posset alterius votum irritare, atque etiam egressum repetere.

Quidsi uterq; emisisset professionem? Resp. Judicandos verè esse professos, & tacitum sibi mutuò præstitisse consensum. Sed si eo erant animo, ut verè nollent profiteri si de vita alterius constaret? Vel uterque vel alter coram Deo non esset professus,

ſcilicet qui tali fuit animo, ſed coram Ecclesia.

Clericus ſi ducat uxorem, tenet, ſed non facit laudabiliter recedendo à perfectiori ſtatu. *Si autem ſit in ſacris*, matrimonium non tenet. *Si contrà, habens uxorem, & poſt conſummatum matrimonium ſuſciperet Ordines?* Reſp. tenerent Ordines, ſed eſſet irregularis. Et ſi ſciens ſuſcepit, non poteſt petere debitum, ſed reddere.

Quid, qui vovit virginitatem, & poſtea amiſit? teneturne ad caſtitatem? Reſp. Diſt. ejus intentionem. Aut enim intellexit illam ſolùm incorruptionem quæ per primum actum violatur, ita ut illâ amiſſâ nollet ampliùs caſtitatem ſervare, tum illâ violatâ non obligatur ampliùs. Aut intellexit ſe illam caſtitatem velle perpetuam ſervare quæ nullo unquam actu coinquinatur, qualis ferè ſemper eſt voluntas ſic voventium, tum manet perpetuò obligatus etiam virginitate.

Qui vovit caſtitatem & duxit uxorem, peccavit mortaliter, & non poteſt debitum petere, ſed reddere.

Qui

Qui vovit non ducere uxorem & postea duxit, peccavit, sed potest petere & reddere. Quia votum non ducendi uxorem non est votum castitatis: sed votum non contrahendi Matrimonium. Imò si post tale votum non contrahendi fornicatus fuerit, peccat quidem contra præceptum, sed non contra tale votum.

Si alter conjugum vovit castitatem inscio altero, potest ab altero irritari tale votum. Sed si alter consenserit, tenentur, & non possunt petere, sed reddere.

Qui vovit accipere aliquam in conjugem, & postea accepit aliam, fecit malè, & contra votum: sed tenet matrimonium.

§. 8.

De Juramento.

Juramentum, si in genere definiatur. Est assertio rei, sacrâ vel humanâ attestatione firmata, Si autem propriè. Est assertio solùm sacræ rei attestatione firmata,

Duplex est juramentum. *Assertorium*, cùm de præsenti, vel præterita re fit. *Promissorium*, cùm de re futura. Et tam hoc

quàm illud, vel simplici fit attestatione, vel boni aut mali alicujus imprecatione, quod solet vocari *Imprecatorium*. Patitur etiam alias differentias, easdem scilicet, quas votum. Potest enim esse, privatum, publicum, solenne, absolutum, conditionatum, fictum, verum, deliberatum, indeliberatum.

Quæres. *In quo est major obligatio, in juramento an in voto?* Resp. Si juramentum fiat Deo aliquid promittendo, major erit obligatio quàm in simplici voto, quia est votum juramento firmatum. At si conferatur juramentum hujusmodi factum cum voto facto Deo, major erit obligatio in voto, sed minùs subest quàm illud dispensatum. Pontificis, quia in juramento intervenit justitia tertiæ Personæ.

Comites juramenti sunt tres ut licitè fiat. Veritas, Justitia, Judicium, adde & quartum, scilicet necessitatem & reverentiam, ut decenter fiat, nisi velis hæc comprehendi sub tertio. *Judicio* caret juramentum incautum & temerè susceptum. *Veritate*

ritate juramentum mendax. *Justitia* iniquum & injustum. At primum ferè est peccatum veniale. Mendax autem & iniquum est ex suo genere mortale. Reliqua omnia de juramento pari proportione ac de voto dici possunt. Iidem casus & eædem prorsus adhiberi responsiones. Eodem etiam modo se habet cessatio, irritatio, dispensatio, commutatio, declaratio. Sed *Poteśtne is in cujus utilitatem quis juravit aliquid se facturum juramentum relaxare?* Resp. cùm S. Th. potest.

Debetne qui metu coactus juravit se aliquid facturum, servare juramentum? Debet. Potest tamen à Prælato petere relaxationem juramenti etiamsi juravit se non petiturum.

Perjurium latè acceptum est illicitum strictè verò est falsum, est propriè cùm deest veritas. Nam cùm deest justitia, est injustum; cùm deest judicium, est temerarium; cùm deest necessitas est superfluum; & cùm deest reverentia est impudens & nonnunquam impium.

§. 9.

De Reo & Teste qui in Judicio pejeravit.

Quæres. Teneturne Reus qui à Judice secundùm Juris ordinem interrogatus pejeravit, veritatem deinde aperire: & si nolit potestne à Confessario absolvi? Resp. Dist. Aut Reus pejeravit mentitus apud Judicem de se loquendo, aut de altero. De seipso, vel negando crimen verum, vel sibi falsum imponendo. Aut inde grave damnum sequitur tertiæ personæ, seu scandalum Reipubl. aut nullum, vel parum mali. Et quidem, vel adhuc durat tempus examinis ex vi præteriti juramenti, vel est elapsum, & data sententia in carcere ipso Reo existente: vel extra carcerem liberatus aut condemnatus ad mortem & in patibulo jam existens, vel ad aliam pœnam pecuniariam damnatus. Si verum crimen de se negavit, & jam data est sententia, & nullum grave damnum contra tertiam personam sequitur inde, sive damnatus sit sive absolutus, sive intra carcerem sive extrà, demùm nullo tempore tenetur se post perjurium

jurium prodere nisi iterum interrogetur, dummodo interim sit paratus ad iterum respondendum juridicè, & potest absolvi. Si verò sequitur inde grave damnum tertii, vel publicum scandalum, & etiam ipse damnatus est ad mortem, ac potest suâ confessione illud auferre, ut contingit cùm quis est in patibulo & putatur innocens, ac Judices vel Principes ex eo creduntur Tyranni, & excitatur scandalum, vel aliud malum simile accidit, debet confiteri veritatem, alioquin non est absolvendus. At si non esset damnatus ad mortem non videretur cogendus ad confessionem proprii perjurii cum infamia sui, nisi malum illud esset tantum & tàm grave, ut præponderaret ejus vitæ & supplicio perjurii, & præsertim si malum illud esset contra Jus naturæ.

Si nondum data est sententia, tamen finitum est examen, id est tempus quo præstitutum juramentum obligat ex vi ipsius juramenti, tunc non tenetur se prodere nisi interrogatus iteratò fuerit. At si durat

rat tempus Examinis ex vi præſtiti juramenti, ſive ſit dies unus vel plures, quamvis negaverit, tenetur veritatem fateri, & non eſſet aliter abſolvendus. Atque hæc dicta ſunt ſi verum crimen de ſe negavit.

Si falſum crimen ſibi impoſuit, putamus ſic diſtingvendum, ſi ad mortem ob id damnatur vel ad membri alicujus abſcisſionem, & parvo aliquo ac tolerabili damno poteſt ſuam confesſionem revocare, tenetur, at ſi ſibi immineant tormenta graviora, vel quid ſimile ex confesſione, non credimus teneri, niſi iterum interrogetur, ac multò minùs teneretur ſi damnatus eſſet ad minorem pœnam, quàm ſit mors vel mutilatio. Neq; verò infamia propria quâ ſe infamavit, nec damnum aliquod, quod inde per accidens ſequeretur cogit miſerum illum ob id nova ſubire tormenta & punitionem perjurii.

Si tertiæ Perſonæ falſum impoſuit crimen, vel tacuit verum, ut ob id alter damnaretur, videtur teneri ob liberationem illius præſertim à morte, etiam cum gravi pro-

proprio damno. At si non aliter, quàm sibi sit moriendum, profectò est id dubium: & crederem illum non teneri, nec similiter cùm in aliis malis tantundem ipse deberet pati, sed aliis viis debebit ut poterit occurrere, vel cùm minori aliquo damno. At multò minùs tenebitur si reus liberatus fuerit, & nullum jam inde damnum sequitur.

Quomodo se geret Confessor quando Reo in carcere existente imminet sententia, aut quando confitetur se pejerâsse? Resp. Si imminet Reo tempus sententiæ utpote intra quinq; vel octo dies, &c. tum si talis negat Confessori verum quod etiam negaverat in judicio, totius est differre absolutionem post datam sententiam pollicendo se redditurum. Si verò confiteatur tunc omnia sacerdoti, & appareat contritus & paratus ad omnia ad quæ jure tenetur, absolvendus est.

Si pejeravit & confitens se pejerâsse, potest uno ex duobus modis se habere, vel ostendit inter confitendum se animum

habere iterum pejerandi, & tunc non debet absolvi, nisi contrarium animum induat dicendi veritatem cùm iterum juridicè interrogabitur, & tunc est absolvendus. Vel confitetur prædictum perjurium & alia peccata, non ostendens animum pejerandi nec contrarium, etiam Confessor non debet eum interrogare, nam veritatem dicet interrogatus, nam hoc esset illum tentare, & objicere ob oculos metum mortis aut grave damnum, cum alioquin de his non cogitans possit esse bene dispositus, & contritus, at verò proposito tali metu, ob fragilitatem fortâsse caderet, ut experientia docet. Sed tunc Confessor ex aliis peccatis explicitè contritionem excitet, & absolvat.

Quomodo se geret Confessor *cum Reo cujus crimen est secretum, nec est semiprobatum?* Res est secreta vel non semiprobata, quæ nec indiciis sufficientibus, nec famâ, nec uno saltem teste omni exceptione majori probata. Tum omnes DD. communiter concedunt Reum non teneri ad confiten-

dam

dam veritatem si interrogetur, sed posse ambiguis verbis, vel amphibologiâ eludere interrogationem Judicis. Tamen in hoc opinantur variè, num Testis, vel Reus dicere possit. Nescio. Non audivi. Non vidi. Non memini, & similia verba ad secretum spectantia. Et multò magis dubitatur, num possit dicere, non habeo, non habui, non pessedi, non feci, & similia, rem vel factum ipsum tegentia (quæ omnia intellige, extra juramentum in quo nunquam æquivocare aut mentali reservatione uti licet) Cùm igitur talis casus acciderit, tum Confessor in neutram partem inclinet, hoc est, neque ad negandum, neq; ad confitendum, nam utrumq; est peccatum. Si enim consulat ut neget, forte post paucos dies aliunde convicendum, aut per tormenta extorquendum, & cùm redarguetur dicet, se consilio Confessarii fecisse. Si consulat, ut dicat, fortè non tenetur, & tutâ conscientia potuisset negare id de quo non legitimè interrogatur à Judice, hoc est, non præcedente semi-

te ſemiplenâ probatione, & tunc inducet illum in mortem vel grave damnum. Docebit igitur ſimpliciter veritatem Reum, dicendo, quosdam DD. affirmare poſſe negare, alios non poſſe. Qui negant, docent poſſe eum ambigvis verbis ſive amphibologiâ eludere interrogationem Judicis non legitimè interrogantis, ut ſi dicat; non ſcio, dummodò in animo ſibi reſervet, ut dicam, vel in tuo foro, vel à te interrogatus vel aliter, neque in hoc videtur peccare. Alii ajunt poſſe ſimpliciter negare. Si non petat Reus conſilium & videtur propenſus ad dicendum vel negandum quod eſt ſecretum, & putat ſe non teneri, videtur dimittendus ſuæ conſcientiæ, & nihil ipſi dicendum.

§. 10.

De Vitiis Religioni oppoſitis.

Vitia Religioni oppoſita ſunt, vel ex defectu, ut Impietas: vel in exceſſu, ut Idololatria & ſuperſtitio.

Impius eſt qui non colit Deum, vel non exhibet ei debitum honorem, ſed contrà,

injurâ

injuriâ afficit & ignominiâ. *Idololatriâ*, quando honor verò Deo debitus redditur Diis falsis. *Superstitio*, quando verum quidem colit DEum, sed indebito modo. Superstitionis genera in universum duo. Vel in scientiis vetitis ac Divinatoriis, vel in vanis observationibus.

Scientiæ vetitæ solent universim Cacomagia vocari, & sunt, Cacomagia quæ pactum expressum vel implicitum cum dæmone habet. Chyromantiæ pars, quæ ex lineis manûs ultra causas naturales se extendit. Nuxomantia quæ ex ossibus aut sepulchris mortuorum facit Divinationes, aut cœpit à mortuis responsa. Geomantia quæ ex terræ signis, metallis, plantis, plus quàm rationes naturales permittant. Pyromantia quæ simili modo ex igne. Hydromantia quæ pari modo ex aqua. Aëromantia quæ pariter ex aëre. Aruspicina quæ ex avium garritu aut volatu. Extispicina quæ ex animalium intestinis & membris sectis, dicitur & Aruspicina notoria, quæ quibusdam vanis obser-

obſervationibus quærit ſcientias. In Divinatoria ſtrictè ſumpta, ope dæmonis vigilantibus, vel dormientibus objiciuntur viſa, ſunt & aliæ ſimiles his artes vetitæ, Arioli, Pithones, Divini, ſunt homines arreptitii. Aſtrologia Judiciaria id prædicit ex motu & influxu aſtrorum quod ex illo prædici non poteſt. Phyſiognomia quâ parte idem facit ex ſignis faciei ac corporis humani, cùm ſcilicet ſe extendunt ad actus humanos liberos, vel ſupernaturales effectus, ſed de his uberiùs in part. 8. noſtræ Phyſicæ. *Sortilegium* cùm ex ſortibus illicitis ſumitur Divinatio, ut ex ſchedulis ex urna ductis, ex feſtucis in aqua, ex librorum apertione. Divinationes licitæ, ſunt, Prophetia à Deo infuſa, Providentia ex prudentia nata. Aſtrologia ſana quæ de ortu ſyderum, tempore ac magnitudine Eclipſium, &c. ut parte 8. Phyſ. exponimus.

De Superſtitioſis obſervationibus hoc advertendum, eas conſiſtere non in cognitione ut Artes vetitas, ſed in dictis vel factis.

ctis. Sunt igitur actiones vel opera diversa ad diversos effectus efficiendos adhibita, ut ad immutanda corpora, ad sanitatem vel ægritudinem, &c. vel ad alios quosdam effectus non viâ naturali efficiendos, sed aliis cœremoniis & observationibus.

§. II.

Regulæ ad dignoscendas superstitiones.

1. Regula. Quoties aliquis effectus qui non convenit rei secundùm naturam, illi attribuitur (nisi id constiterit per Ecclesiam, ut constat in Sacramentis, & Sacramentalibus) habendum id erit superstitiosum. Constare autem id potest per universalem Ecclesiam, vel per summum ejus pastorem, vel saltem episcopatûs, vel religionis traditionem ita servantis vel alicujus Sancti miraculo in Ecclesia approbato.

2. Si effectus naturalis tribuatur alicui rei quam constat habere talem virtutem id faciendi, non est superstitio. Cujusmodi multi sunt in herbarum gemmarumq;

rumque virtutibus. At si subjicitur alicui ex istis rebus, ut vocibus, signis, figuris, characteribus, imaginibus, ceremoniis, seu gestibus: aut si credere jubearis, ut effectus consequatur, illicita erunt omnia & superstitiosa, etiamsi hæc cum aliis rebus naturalibus conjungantur tanquam necessaria.

3. Si res naturales vel artificiales, vel actiones, ad supernaturales effectus producendos adhibeantur, aut ad liberos voluntatis actus, vel actus intellectuales vel spirituales, vel ad futuros contingentes effectus, vel fortuitos & raros divinandos vel efficiendos in nobis, vel in aliis: erit superstitio judicanda. Juxta dicta num. 1. Nota. Si tale aliquid dicant semper evenire, vel fieri cùm hæc adhibentur, nam ideò putandum est esse licitum, vel esse naturalem effectum, quia ille effectus potest provenire à dæmone. At si quis contendat fieri sic à Deo vel bonis Angelis id credendum non est, cùm per Ecclesiam non constat Deum his mediantibus rebus

agere,

agere, & miracula ad talium rerum præsentiam velle edere, nec de tali constat revelatione certâ fidei probatione.

PARS II.

De Operibus Hominum erga Homines ac primò erga nos ipsos.

HActenus egimus de operibus nostris ac virtutibus erga Deum ejusq; cultum. Jam agendum de illis quæ circa res alias versantur. Et primò de operibus nostris erga nos ipsos, deinde erga alios. Circa nos. Vel nostra bona expetendo aut fugiendo, & in his versatur temperantia. vel nostra mala aggrediendo aut fugiendo, & in his est fortitudo. Et hæ duæ virtutes erga nos, versantur in voluntate, & ut illa quæ est erga alios, scilicet Justitia. At verò prudentia in intellectu. Et ab hac incipimus.

CAPUT I.

De Prudentia & aliis Virtutibus intellectualibus.

UT virtutes voluntatis versantur circa bonum, ita intellectuales circa verum. Ex his practicæ sunt, quæ veritatem practicè considerant. Veritatem in agendis Prudentia; in faciendis Ars, neque in genere moris. Speculativæ sunt quæ veritatem non contemplantur in ordine ad opus. Et tales sunt Intellectus, Scientia, Sapientia.

Prudentia est recta ratio rerum agendarum, cujus præscripto virtutes in suis operibus diriguntur. *Opponuntur ei duo vitia.* In defectu, imprudentia. In excessu falsa prudentia: sub qua vafrities, prudentia mundi, carnis astutia, dolus, fraus, calliditas. *Prudentiæ partes sunt tres.* Memoria præteritorum, cognitio præsentium, providentia futurorum. Quibus opponitur oblivio, hebetudo mentis, & sollicitudo nimia.

Ad prudentiam virtutes istæ spectant. Consultatio

ſultatio ad inveniendas vias rei peragendæ, quæ Græcè *Eubolia* dicitur, ad quam pertinet ſolertia, quæ facilè, ſolertes, celeriter, rectas vias invenit ad finem propoſitum; tarditas conſilii illi opponitur, *Euſtochia* quæ rectis utitur conjecturis cui ſuſpicio contraria eſt. Denique *maturitas* conſilii, cui præcipitatio adverſatur. In habenda ratione circumſtantiarum *circumſpectio* cernitur in impedimentis autem amovendis *cautio.* Inventa diſcernit *Judicium*, quod eſt duplex. Alterum commune, de rebus ſcilicet uſitatis, quod græcè dicitur *Syneſis.* Alterum in rebus quæ rariùs accidunt, græcè ynoma vocatur. Judicio opponitur inconſideratio & amentia. In re ipſa efficienda ſpectatur virtus, dicta, præceptum rationis, quæ eſt ultimus prudentiæ actus & cæterorum finis. Quocirca prudentia ex illo definitur ab Ariſtotele. Virtus benè præceptiva eorum quæ agenda ſunt.

Prudentia eſt triplex. Privata ad unumquemque pertinens, ſeu monaſtica. Oeconomica

nomica ea, quæ ad domum vel familiam regendam. Civilis & Politica quæ ad Rempubl. ad hanc spectat ea quæ in legibus condendis versatur. De his damus compendium initiò nostræ Agrariæ. Est effectus Prudentiæ secundùm quid, quo utimur in fine artium consequendo, ex quo prudentes medici, Navarchi, cæterique artifices vocantur.

Virtutes practicæ in actione consistentes sunt. 1. Habitus primorum principiorum, qui *intellectus* dicitur. 2. *Scientia* quæ est conclusionum ex primis principiis deductarum perfecta cognitio. 3. *Sapientia*, quæ illa omnia non tam ratiocinando quàm intuendo præcipit. Intellectui cæcitas mentis opponitur, sapientiæ stultitia aut falsa sapientia, quæ etiam carnis, & hujus sæculi sapientia dicitur.

Sapientia ergo est rerum omnium tam divinarum quàm humanarum perfecta cognitio. Quoniam à prima causa ad ultimos effectus descendit, & rursus ab his ad primam causam ascendit, omnia simul uno

uno aſpectu complectitur. Quæ licet ſit propria Deo, per quandam tamen ſimilitudinem etiam ad hominem ſpectat.

Virtutes aliæ intellectûs ſunt, humana fides, ſuſpicio, dubitatio. Quæ licet non ſunt certæ, ut ad virtutis perfectionem perveniant uti ſupradictæ, tamen humanam vitam adjuvant. Fides humana ab opinione differt, quia opinio ratione probabili, fides authoritate nititur.

CAPUT II.

De Temperantia.

TEmperantia eſt virtus quæ moderatur actiones noſtras, in bonorum circa nos expetitione vel fuga. Actiones, inquam, tũ appetitûs ſenſitivi concupiſcibilis: ſcilicet, affectûs, ut deſideria, concupiſcentias, cupiditates, & delectationem: deinde ſenſuum, præcipuè guſtûs ac tactûs: tum voluntatis actiones, in verbis, jocis, opere. Cui *contraria vitia* utrinque ſunt duo. Alterum *in exceſſu*, & eſt in temperantia.

Alte-

Alterum in defectu quod vocari potest, *insensibilitas*, non expetendo quæ oporteret.

§. I.

Variæ temperantiæ partes & species, & vitia contraria.

Cùm bonorum nostrorum varia sint genera, scilicet, Animi, Corporis, & Fortunæ, in quorum cupiditate vel Fuga Temperantia versatur, sic etiam sunt variæ temperantiæ species. *Studiositas* in scientiarum ac veritatis acquisitione & expetitione, cui opponitur Curiositas. *Abstinentia* in cibo cujus actus est jejunium, huic contrariatur gula. *Sobrietas* in potu, cui opponitur ebrietas. *Castitas* in rebus venereis, sub qua Virginitas, continentia; castitas conjugalis. Castitati opponitur luxuria. *Pudicitia* in circumstantiis Venereorum, ut osculis, tactibus, cui opponitur Impudicitia. *Honestas* & Verecundia. Illa est in honesti expetitione, hæc in fuga turpitudinis. *Silentium* in lingva cum lingvæ

guæ custodia & moderatione, cui opponitur in excessu loquacitas & Garrulitas, in defectu, nimia & inordinata Taciturnitas. In cœteris deniq; aliorum sensuum sensitivis bonis & delectationibus, ut olfactûs, visûs, & auditûs; debita in omnibus moderatio & custodia, similiter & interiorum sensuum, atq; adeò cordis ipsius: *Modestia* in motu gestuq; corporis & in aliis actionibus, cui contraria est immodestia. In vestitu & exteriori ornatu. *Moderatus cultus*, cui opponitur luxus. In divitiarum quæ inter externa bona connumerantur, appetitione, fuga, usu. In mediocribus divitiis *liberalitas* cui per defectum Avaritia, per excessum opponitur Prodigalitas. In magnis divitiis *Magnificentia*, cui opposita per defectum & excessum, nomen non habent. In Honorum, dignitatum, & excellentiæ appetitu & contemptu. *Humilitas* & honoris contemptus cui opponitur, ambitiò, vana gloria, & superbia, & contrà, neglectus honoris & bonæ famæ, In aliorum deniq; omni-

um

um bonorum noſtrorum ſi quid ſit ſecundùm rectam rationem, *Moderatio.* Ut ita paratus homo, & ab omni inordinata affectione liber interiùs exteriusq; rectè compoſitus, aptus ſit ut à ſuo Conditore & Redemptore Deo tranquillâ mente, quæ ipſi volet dare, gratiarum dona recipere poſſit.

CAPUT III.
De Fortitudine.

DIximus de bonorum omnium noſtrorum moderanda expetitione, jam ergo de malis noſtris ſuperandis dicamus. *Fortitudo.* Virtus eſt quæ in malis noſtris fugiendis ſuperandisq; cernitur, quæ Iraſcibilis omnes affectus moderatur, iram, timorem, audaciam, ſpem, deſperationem, dolorem, cum cæteris ſi qui ſunt alii, & Actiones voluntatis. Ei vitia utrinq; opponuntur, in defectu quidem Ignavia, in exceſſu autem temeritas.

§. 1.
Fortitudinis partes, ſpecies, Vitia oppoſita.

Fortitudo continet ſub ſe etiam bellicam

cam fortitudinem ad mortem, & mortis pericula justa de causa aggredienda & propulsanda, cui Timiditas opponitur. *Patientiam* ad sibi mala invicto animo perferenda, cujus actus est Martyrium pro Fide & virtute susceptum. Vitium contrarium est impatientia per excessum, per defectum verò stupiditas. *Magnanimitatem* ad ardua & maxima superanda impedimenta & pericula, cui Pusillanimitas, in defectu, & excessu sunt extrema. Tumor mentis. *Constantiam* ad persistendum in benè cœptis contra res adversas: cui contraria Levitas, & in altero extremo Pertinacia. *Perseverantiam* ad difficultates superandas usque in finem, cui contrarium vitium in excessu Obstinatio, in defectu Inconstantia.

Jam de Virtutibus seu operibus nostris quæ ad alios referuntur.

CAPUT IV.

De Justitia.

PRæcipua ex Virtutibus quæ ad alios refe-

referuntur est *Justitia* quæ interdum latissimo sumpta vocabulo virtutes omnes complectitur. Omnis enim virtus est juris Divini, Naturæ, aut positivi consentanea, & omnis virtus est necessaria ut Deo & aliis reddamus quod debemus, cui justitiæ peccatum opponitur. Sicut enim omni virtute Deo obedimus, nobis & aliis, ac Reipubl. prosumus ita peccatis DEO adversamur, nobisq; ipsis & proximo nocemus. Eâdem nominis notatione justi, Sancti nominantur. *Sæpius* tamen justitia propriè accipitur, quæ virtus est erga alterum, & quod suum est cuiq; reddit.

Justitia igitur *propriè* accepta, est virtus quæ reddit alteri quod suum est. Vel, ut Justinianus definit. Est constans perpetuaq; voluntas jus suum unicuiq; servandi. *Materia proxima* justitiæ sunt actiones erga alios quæ nos justos faciunt. *Remota* sunt illæ res quas reddit, & personæ quibus has ipsas reddit.

Actus Justitiæ in genere sunt duo. Facere bene aliis, & declinare à malo faciendo

ciendo aliis. Nam in universum facere bonum, & declinare à malo pertinet ad omnes virtutes. *Opponitur* autem justitiæ Injustitia cujus contrarii sunt actus. Malum aliis inferre, & bonum non facere. Accipitur etiam latè Injustitia pro omni vitio & peccato, sicut & justitia pro omni virtute.

Duplex est Justitia, alia *Particularis* erga particulares singularesque personas, altera Universalis quæ *legalis* dicitur, & est erga totam Rempubl. Potest addi tertia Oeconomica erga Domesticos, propriam familiam bonumque eis commune, quamvis hæc à ratione Justitiæ deficiat, quòd sit quodammodo ad seipsam: sunt enim ejusmodi Personæ aliquid sui, filii, servi &c.

§ I.

Divisio Justitiæ particularis.

Particularis justitia est in triplici differentia. Aut enim reddit aliquid jure debitum aut non iure debitum, sed ex benevolentia. Si jure debita sunt, reddit ad æqualitatem, vel non. Jam igitur si reddit & jure debita

& ad æqualitatem, jam perfecta cernitur ratio Justitiæ. Et quidem si ad æqualitatem Geometricam, est justitia *Distributiva.* Si verò ad æqualitatem Arithmeticam, est justitia *Commutativa.*

Si autem reddit jure debita sed non ad æqualitatem, sunt aliæ species justitiæ minùs propriè dictæ, ut Pietas, Observantia. Si reddit non jure debitum sed ex benevolentia tantùm & decentia, sunt aliæ species, Amicitia, Concordia, Beneficentia.

§. 2.

De Justitia Commutativa & Distributiva.

Commutativa est justitia, quæ in commutationibus, seu Contractibus facit æqualitatem rei ad rem proportione Arithmeticâ. *Distributiva* quæ in distribuendis servat æqualitatem rerum ad personas, & Personarum dignitatem proportione ductâ, quæ Geometrica dicitur.

Nota. *Duplicem* esse *æqualitatem*, unam quæ dicitur *Arithmetica* scilicet numeri ad nume-

numerum ſibi æqualem, ut 3. ad 3. & 4. ad 4. & hæc ſervatur in Juſtitia Commutativa, ut ſi v. g. dat quis 3. reddantur ipſi 3. tantum ſcilicet quantum eſt datum, & ita fit æqualitas Arithmetica rei quæ datur ad rem quæ accipitur. Altera eſt æqualitas *Geometrica*, id eſt non in numero, ſed in proportione. v. g. dat quis egentibus eleemoſynam, & unus eget quatuor nummis, alter decem, & det primo duos, alteri quinque, medietatem cuique ipſius indigentiæ, hic æquali proportione ad indigentiam diſtribuit, utpote medietatem utrique, & idem eſſet ſi utriq; tertiam, vel quartam partem indigentiæ daret æquali ſemper proportione ſervatâ ad indigentiam. Nam in iſto exemplò, quanta eſt proportio duorum ad 4. ſcilicet dupla; tanta eſt 5. ad 10, ſcilicet dupla; atque ita ſe gerit ſemper Diſtributiva Juſtitia in omni alia diſtributione, ut honorum, dignitatum, & aliarum rerum. Eſt etiam notandum aliud diſcrimen. Commutativa particulare bonum particulari reddit

ad æqualitatem. At Distributiva commune bonum pluribus distribuit, prout unicuiq; pars illius boni communis potest convenire servatâ dictâ proportione.

Vitia autem utriq; diversa opponuntur. *Distributivæ* quidem *Acceptio Personarum*, cùm ex causa indebita commutat proportionem distributionis, aut omittit, alterum alteri præferendo, quod sanè vitium est maximum in dispensatione rerum spiritualium, beneficiis, vel temporalium, in judiciis, in restitutionibus, in præmiorum distributionibus. *Commutativæ* verò Justitiæ in genere vitia opposita sunt. *Debitum bonum non solvere, aut malum reddere*, scilicet dissolvere dictam æqualitatem, aut dissolutam non restaurare. In specie verò plurima sunt vitia pro diversitate bonorum, & malorum plurium, & actionum quibus infertur, ut usura, fraus, dolus, homicidium, detractio, &c.

§. 3.

De Actibus Commutativæ Justitiæ.

Actus Commutativæ Justitiæ, in genere sunt

quidem

quidem duo quos exercent inCommutationibus seu Contractibus. Primus, æqualitatem efficere. 2. Inæqualitatem, si sit facta reparare, hoc est, cùm aliquid datur suprà, vel accipitur, restituere, ut debitum vel ablatum compensetur.

Compensatio autem est multiplex. Vel beneficii remuneratio. Vel debiti solutio, vel damni illati restitutio, vel injuriæ satisfactio, & si quid aliud est quod ad æqualitatem compensari queat, solent autem communi & latè accepto vocabulo hæc omnia Restitutio vocari. In specie autem plures sunt actus pro contractuum & commutationum varietate. De Restitutione igitur primò in genere dicemus, deinde de singulis contractibus, & æqualitate ac justitia in illis constituenda, qui quidem contractus, & hanc ipsam restituendi obligationem inducunt, & propriè sunt justitiæ Commutativæ materia.

§. 4.

De Restitutione, & ejus Regulæ.

Restitutio est, debiti aut damni illati

ſolutio. *Differt à Satisfactione injuriæ vel culpæ.* Quia hæc includit non ſolùm compenſationem injuriæ, ſed etiam circumſtantiarum amicitiæ, nam utrumq; læſerat. Reſtitutio non dicit modum debiti ſolutionum, unde dicta Reſtitutio quòd iterum ſtatuat alterum in poſſesſione. *Solutio* verò differt ab utroq; quia ſolutio ſumitur & ab inimico licet nolit: ſatisfactio verò eſt ſpontanea & voluntaria.

Regulæ generales *Reſtitutionis* ſunt duæ. 1. Origo & obligatio omnium Reſtitutionum naſcitur & oritur ex duplici capite vel ratione rei acceptæ, vel ratione acceptionis juſtæ vel injuſtæ. 2. Non eſt aliquis obligandus ad reſtitutionem cum indecentia ſtatûs: ſed ſervatâ ſui ſtatûs decentiâ niſi eſſet ex delicto, aut ſi alter eſſet in gravi vel extrema necesſitate. Item non tenetur quis ad Reſtitutionem eorum quæ acquiſivit bonâ fide, ſi non eſt inde factus ditior, nec plùs quàm factus eſt inde ditior, vel ſuis rebus ideò pepercit.

§. 5.

§. 5.

De Circumstantiis Restitutionis.

Videndum est quis teneatur restituere, cui, quid, quantum, quando, ubi, quo ordine, & modo, de Persona Restituente hi sunt versiculi, seu de Circumstantia *Quis.*

Restituat capiens aliena, ejusq; Minister,
Jussio, consilium, consensus, palpo; recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Cui? Domino, si scitur, aut sciri potest, si non scitur, nec sciri potest, ejus filiis vel hæredibus. Si isti nesciuntur, aut iis fieri non potest, danda est Christo in ejus pauperibus, & operibus piis. Item, si datio ipsa fuit injusta, & non solùm acceptio, ut in Simonia, non est restitutio facienda danti, ut probabilior asserit opinio, sed ei in cujus injuriam datum est; aut Ecclesiæ vel Christo.

Quid? Res, & damnum. Et quidem si res restat integra, reddenda est ipsamet si fieri sine scandalo potest. Si autem non

extat, vel facta est deterior, æquivalens reddenda est. Res autem aliena reddenda est sive eam ipse acceperit, sive alius, sive bonâ sive malâ fide acceperit, sive possideat, dum constet esse alienam. In damnis vitæ, membrorum, sanitatis, libertatis, honoris, famæ, jurium, fructuum, damni emergentis, aut lucri cessantis, & ejusmodi restitutio fieri poterit meliùs ad arbitrium boni viri.

Quantum? Tantum quantum res valet, vel damnum æstimatur si certò id constet. Si non constat est, quantum, bonus ac prudens vir judicabit. Quodsi rem detinuit non solùm illam, sed fructus etiam perceptos tenetur restituere.

Ubi? Si rem alienam quam quis habet fide bona, in eo loco in quo res habetur, restituenda. Si quia injustè accepta est, illius restitutio facienda ibi ubi Dominus servetur indemnis, & si per hoc aliquis gravandus est, ipse potiùs occupator gravetur.

Quando? Statim si possit commodè fieri, seu

seu cùm primùm commodè potest, & hanc debet habere voluntatem. Non autem tenebitur statim restitutionem facere. 1. Si ipse sit in extrema necessitate. 2. Si decentiam Dominus v. g. servare non possit, in restituendo servo. 3. Si cederet in damnum corporis vel animi Domini si ipsi statim restitutio fieret. 4. Si cederet in commune damnum, vel sit contra bonum commune. 5. Si probabiliter futurum est in damnum famæ vel vitæ, vel animæ ipsius restituentis vel alterius, vel si ex hoc incurreret periculum alicujus peccati mortalis, non debet statim fieri restitutio.

Quo ordine? Si omnibus potest, omnibus restituat, & tunc ordinem servare non est necesse. Si autem non potest omnibus, certa priùs & potiùs sunt restituenda quàm incerta. Et inter res certas, priùs res quæ extat in propria specie, quàm altera, & debitum justè contractum, quàm alterum. Si incerta sunt, de consilio Confessoris restitui poterunt.

Vel

Vel si ipse Pœnitens sit pauper, poterit eidem ut pauperi relinqui, si ita expedire videbitur Confessori, & non detur occasio similia perpetrandi, vel componi, opus cum Pontifice de incertis.

§. 6.

De Restitutione Famæ.

Fama restituitur hoc pacto. Si quis eam justè abstulit, ex juris ordine, ut Judex non tenetur restituere. Si abstulit injustè, tenetur. Vel falsum imponendo, & tunc tenetur se falsò & injustè ea dixisse, quæ dixit, vel verum dicendo, ut quis revelavit peccatum verum alterius sed occultum, & tunc tenetur dicere, se injustè diffamâsse, & malè fecisse in dicendo. Cæterùm dicendi modus sit sine mendacio, & ejusmodi, ne dum fama restituitur, magis diffametur, quod si tale periculum incideret, cessandum esset ab hoc genere restitutionis. Alius item modus restituendæ famæ erit, quando aliter nequit restitui, & quidem satis bonus, laudare videlicet

coram

coram illis iisdem, & veras ejus Personæ laudes afferre, coram quibus falsò vel injustè priùs detraxerat.

At si fama non potest restitui aliter, debet compensari & satisfieri damno secuto ex infamatione, idque ad boni viri arbitrium.

De libellis famosis seu diffamatoriis eodem modo dicendum. Ibidem autem debet fieri restitutio, ubi facta est diffamatio, publicè, vel occultè.

§. 7.
De Contractibus in Communi.

Contractus latè accepto vocabulo est. Actio erga alterum ex qua nascitur obligatio ex una vel ex altera parte, vel ex utraq; aut nata dissolvitur. Strictè verò, est actio mutua inter aliquos, ex qua etiam mutuò nascitur obligatio, aut obligationis dissolutio, quo pacto solùm continet contractus voluntarios.

In omni contractu *considerantur tria. Personæ* contrahentes, *Actiones* Personarum.

rum. *Res* circa quas actiones ipsæ versatur. In quacunq; autem re aliud est substantia ipsius rei, aliud utilitas quæ ex ipsa provenit, vel fructus. Unde in substantiam ipsam proprium est dominium, & jus in ipsam. Alterum verò est usus fructûs, vel jus ad fructus rei, vel ad aliquam hujus rei utilitatem percipiendam.

Hæc igitur omnia quæ in re sunt transferri possunt ab uno ad alterum humanis actionibus, idq; vel voluntariis spontè: vel violenter, altero saltem invito. Et quidem mente, voce, & opere, scripturâ, ex quibus omnis contractûs differentia nascitur. Et quidam est publicus, quidam privatus.

Triplici porrò ratione *distingvitur* Contractus. Ex *Diversitate Personarum*, ex *diversitate rerum* ex *actionum ipsarum diversitate* circa res ipsas. Contractus ergo ex Personarum diversitate, alius esse potest erga Deum ipsum, Angelos, & Beatos, qui & Divinus dici potest, cùm in Dei cultu sit & Religione. Alius Hominum erga

ga ipsos homines, qui Humanus dicitur contractus, de quo solo nobis agendum. Hic rursus ex diversitate rerum humanarum in quibus contractus versatur, diversus est. Vel enim in animi bonis aut malis, ut docendo, consulendo &c. Vel corporis, ut Matrimonio, servitute, &c. Vel in externis bonis vel malis, ut pecuniis, & rebus aliis quæ pecuniâ æstimantur, in quibus propriè contractus dicitur, transferendo earum rerum externarum dominium, vel usum, vel fructum.

Nota. *Aliud est usus, aliud fructus,* Aliud *usus fructus*, usus est v. g. domûs fructus v. g. agri, usus fructûs est jus ad fructus.

Contractus dividi potest in Voluntarium, & Involuntarium. *Voluntarius* est qui propriè contractus vocatur, & in rebus propriè, quæ pecuniâ æstimantur, cerni potest. *Involuntarius* verò, qui coactus dicitur, minùs est propriè contractus. Voluntarius est multiplex. Nam aut transfert dominium rei vel usum, vel fructum, vel rem tradit recuperandam. Si transfert

fert dominium gratis, *Donatio est*. Si non gratis sed rem pro re, *Permutatio* dicitur. Si rem pro pecunia, *Emptio* & *venditio*, ad quàm *Mercatura, Societas, Assecuratio*, revocantur. Si pecuniam pro pecunia, *Cambium*. Quodsi dominium non transferat sed fructum & usum rei, si gratis in rebus quæ ipso usu consumuntur, ut pecunia, in qua dominium non differt ab usu, *Mutuum* versatur, ad quod spectat *Mons pietatis*, & alii similes. In rebus verò quæ cum usu consumuntur, si fructus ferat, *usus fructûs* cernitur. Si non ferat, dicitur *Commodatum*. Si autem usus vel fructus non gratis transfert, sed datur res alteri fruenda & utenda pro pretio ad tempus, *Locatio* & *Conductio* appellatur. Si in perpetuum, *Emphyteusis* & *Feudum*. Quodsi retineat apud se rem fructu vendito, *Census* dicitur, cùm res traditur, sed à dante recuperanda. Si ad conservationem, *Depositum*: si ad obligationem restituendi, *Fidejussio* & *Hypothecatio* appellatur.

Involuntarius est duplex, clandestinus seu

ſeu occultus, & violentus. *Clandeſtinus* complectitur Furtum, Veneficium. Detractionem, falſum Teſtimonium,& quibus occultè nocetur proximo in bonis animæ, corporis, & fortunæ. *Violentus* eſt autem, Rapina, Homicidium, Mutilatio, Vulnus, Verberatio, Vincula, Contumeliæ, & cætera quibus per vim nocetur proximo in bonis, corporis, animi, famæ.

§. 8.

De Mutuo.

Mutuum eſt contractus in quo datur alteri res quæ ipſo uſu conſumitur, reddenda non eadem numero ſed ſpecie. Unde Nota, Res quasdam eſſe quæ uſu conſumuntur, ut pecunia, vinum, oleum, frumentum, & ideò in iſtis non diſtingvitur, nec ſeparatur uſus à dominio. Sunt autem quædam quæ non conſumuntur uſu, ſed manent poſt uſum, ut domus, eqvus, vinea, prædium, & in iſtis ſeparatur uſus à dominio.

Materia mutui ſunt res illæ quæ uſu conſumuntur. *Differt* autem mutuum *à Commodato,*

modato, quia in Commodato usus rei datur quæ non consumitur usu, ut domus vel eqvus sed non datur dominium, & ideò redditur idem numero. In Mutuo verò datur usus rei quæ usu consumitur, & ideò usus cum dominio, & proinde non eadem res redditur numero sed specie. Mutuum, est quasi, de meo tuum factum. Si res pereat, mutuatoriò perit.

§. 9.

De Usuræ vitio quod in Mutuo reperitur.

Usura est mutuum ex quo, intendit, vel capit quis aliquid ultra sortem pecuniâ æstimabile, ex pacto tacito vel expresso, idque ex vi mutui principaliter, vel propter mutuum. Vel, est lucrum ex mutuo. Duobus autem modis accipitur usura. Aliquando pro hoc ipso vitio seuActione quæ tale lucrum ex mutuo ultra sortem patitur. Aliquando pro ipsomet lucro quod recipitur ultra sortem, & ita dicitur. Deberi usuras, vel, solvi usuras, sive fœnus.

Dicta

Dicta est usura ab usu, quasi vendatur seorsim usus rei, qui nullus est præter ipsam rem, & ideò prohibita, quia in usura nihil venditur, vel idem bis venditur.

Materia usuræ sunt res in quibus mutuum esse potest, illæ videlicet quæ usu consumuntur jam dictæ, vel aliæ si quoquo modo in eis mutuum interveniat.

Duplex est usura Mentalis & Realis, utraque palliata vel expressa. Mutua vel non mutua, quando scilicet est mutuum manifestum vel occultum, & ex altera, vel ex utraq; parte.

Formalis est explicata v. g. do tibi mutuò centum, reddes mihi post annum centum decem, in hac formaliter intervenit pactum de dando ultra sortem. *Virtualis* sive palliata in qua virtualiter illud pactum intervenit, v.g. cùm dicit Usurarius, do tibi mutuum, sed scis qualiter soleam dare ad mutuum, &c. contingit frequenter in venditione expectatâ, vel anticipatâ pecuniâ. Item alia usura *Lucratoria*, in qua ex mutuo lucratur. *Punitoria* v.g. si mihi non

non reddideris tali tempore centum, addes decem: *Lucrum autem usurarium* accipitur semper tanquam quid debitum ex justitia, tanquam pretium & compensatio mutui, aliud esset, si pro incommodo quod ex ea mora patitur acciperet, vel alio convenienti titulo.

§. 10.

Regulæ Generales ad discernendum omnem Usuram.

1. *Regula.* In quavis usura reperiuntur tria. 1. Res in quibus versatur usura, illa est quæ usu consumitur. 2. Actio erga illas res, scilicet, mutui liciti vel illiciti, si dans accepit ultra sortem. 3. Persona quæ intervenit, id est, dans ad usuras, & accipiens, & alii participantes, seu cooperantes. In rebus igitur quæ usu consumuntur si aliquid accipiatur præter sortem, propter mutuum, est Usura.

2. *Regula.* Videndum an interveniat mutuum in illo contractu, an non, cognoscitur autem mutuum esse, cùm sors principalis res est, quæ usu consumitur & perit,

&

cum datur alio non dante. Nam si non interveniat mutuum non erit usura. Si autem interveniat mutuum, videndum an accipiatur aliquid ultra sortem, ob mutuum, quod sit æstimabile pecuniâ, scilicet ob tale mutuò datum beneficium, & ex pacto, nam si videatur mutuum & nulla causa quæ mereatur illud ultra sortem, est usura.

3. *Regula.* Cùm tempus intervenit, & non est alia causa cur aliquid ultra sortem recipiatur, præter ipsum tempus, seu temporis expectationem, est usura: tum enim latet mutuum palliatum, ut in venditione ad tempus cariùs quàm in præsenti.

4. *Regula.* Cùm præter rei pretium, quæ usu consumitur, pro ipso usu rei aliquid accipitur, vel pro ipso usu rei, cujus non est usus, est usura. Ut cum pro usu pecuniarum alicujus temporis, quæ tunc dantur, vel postea dabuntur, aliquid amplius exigitur. Et ut uno verbo comprehendamus dictas Regulas. Quoties accipitur aliquid ultra sortem pretio æstimabile,

bile, ex una harum trium causarum, vel ob mutuum, vel ratione expectationis temporis, vel ratione usûs pecuniæ, alteriusve rei, quæ usu ipso consumitur, est usura. Sin autem aliter, minimè. Quamvis posset esse Injustitia, si esset inæqualitas. Ex iisdem causis non solùm factum in se, sed animus judicandus, tum mutuantis, tum accipientis ultra sortem, ac deinde etiam solventis. Sæpe enim excusat cum id gratis datur potiùs quàm ob mutuum.

5. *Regula.* Ex ipsa definitione usuræ supra posita, singuli contractus dignosci possunt, videndo an illis talis definitio conveniat. Nam ubi omnes illæ definitionis particulæ reperiuntur, est usura. Ubi autem defuerit aliqua particula, non erit usura.

§. II.

Casus Usuræ in particulari.

Quæres 1. *An liceat ob mutuum, petere ab aliquo,* vel *accipere, vel intendere, ejus Amicitiam*, Benevolentiam, restaurationem Amicitiæ, Affabilitatem, Satisfactionem seu

condo-

condonationem illatæ injuriæ, Gratitudinem, Consilium, Laudem, Doctrinam, Honorem, Dignitatem, Honoratum aliquod officium, Delectationem, seu actum jucundum aliquem ludi, veluti, spectaculorum, seu cantûs, & spirituales res sive naturales sive supernaturales? *Resp.* In omnibus aut certè in aliquibus istorũ vidẽdum, quæ nam æstimentur pecuniâ, ut injuriarum condonatio, satisfactio, consilium, honores, doctrina, magistratus, turpis delectatio, cantus, Histrionum actio & tum est usura, petere ista ultrà sortem. Sed si in sua solùm per se natura manerent, non esset usura hæc ultrò petere & quærere, quia ex se & per se non æstimantur nec mensurantur pecuniâ.

An liceat accipere aliquid ultra sortem, vel intendere, vel sperare, vel desiderare. Vel ultra sortem datum, vel dandum ab altero non ex pacto, sed *liberè, videlicet ex amore,* amicitia, gratitudine, intentione justâ vel injustâ ex alia causa per accidens ac præter intentionem? *Resp.* Si ex amore, amicitiâ,

citiâ, vel benevolentiâ, vel gratitudine vel intentione justa licet, ex injusta intentione, non licet & tenebitur ad restitutionem. Si ex turpi causâ, peccat. Sed non tenebitur ad restitutionem nisi quòd plus accepit. Quodsi ex alia causa per accidens & præter intentionem utriusq; sequetur lucrum aliquomodo, videndus erit ille modus, & via unde sequetur illud lucrum sintne liciti modi an illiciti, & inde judicandum.

3. *Licetne accipere aliquid æstimabile pretio ex pacto, sed non ex vi mutui vel ob mutuum, sed ex alia causa legitima?* Apparet quidem usura sed non est, quia accipitur quidem in mutuo, sed non ex mutuo vel ob mutuum.

4. *An Gener à Socero possit subinde accipere aliquid dum non solvit dotem?* Resp. Potest licitè propter onera Matrimonii ad quæ se obligat ex pactoGener, ad alendam scilicet uxorem, liberos, & famulos juxta statum suum, & talem obligationem subit propter dotem.

Aliam etiam causam aliqui DD. afferunt,

runt, quia censetur cessare lucrum genero, quia credendum est illum dote usurum fuisse ad se & uxorem alendam. Itaque si differatur dotis solutio, aliquid à Socero dandum est non solùm propter lucrum cessans, sed etiam ob damnum emergens.

5. *An Vidua ab Hæredibus Mariti interim dum retinent dotem possit aliquid petere?* Resp. Potest licitè aliquid accipere ultra sortem, si vi detineant. Imò etiamsi ex pietate relinquat hæredibus ne depauperentur si solvere cogantur.

6. *An pupillus à Tutore aliquid si ille suis pecuniis lucratus possit petere?* Resp. potest, si Tutor potuit legitimo lucro lucrari. Sin autem non potuit, non licet, & ratio est; quia cessat lucrum pupillo Tutoris causâ, qui lege lucrari debebat, si justè poterat.

7. *An accipiens loco pignoris civitatem, castrum, pagum ab aliquo possit illius reditus percipere dum reddatur summa?* Resp. Tantum posse, quantum æstimari posset labor in administratione illius civitatis, pagi, in defensione subditorum, quia hoc

censetur esse stipendium, quod autem est supra hoc, si accipiat, usura erit.

8. *An fructus agri aut alterius pignoris liceat accipere?* Resp. Si pignus onerosum est potest tantùm accipere quantùm id onus æstimabitur. Si verò non sit onerosum aut fructus superet oneris pretium, non licet, & esset usura.

9. *An ab hostibus contra quos est bellum justum liceat ex mutuo aliquid contra sortem accipere?* Resp. Licet. Sed tunc non ex mutuo esset, licet esset circa mutuum, possunt enim hostes illi in bello justo privari rebus suis & vi illatâ. In hoc igitur casu privantur quidem in mutuo, sed non ex mutuo.

10. *An Emphiteuta accipiens rem datam in emphiteusim, in pignus, possit fructus ejus accipere interim dum soluat mutuum Emphiteutarius?* Resp. licite potest interim fructus recipere, quia Emphiteuta retinet apud se dominium diversum rei, & concessit Emphiteutario dominium solùm utile rei, idque ut rem conservet & aliqua solvat in singulos annos, residuum sibi accipiat ob

rei

rei conservationem. Cùm autem Emphiteuta rem suam recipit eandem sibi conservat, & ita esset causa cur Emphiteutario aliquid ex fructibus rei debeatur. Sed tamen illo medio tempore nihil tenebitur Emphiteutarius in singulos annos solvere, ut solvebat; quia id solvebat accepto pretio & re quam jam non habet ex dominio utili ejus quod habebat. *Euphiteusis* est contractus, in quo res aliqua immobilis & habens usum vel fructum alteri datur utenda & fruenda: sed sibi reservato dominio rei directo, scilicet in substantiam ipsam rei, ita tamen ut is cui datur res, non possit corrumpere, immutare. *Emphiteuta* est ille, qui talem immobilem rem dat alteri reservato sibi dominio directo. *Emphiteutarius* est ille qui rem accipit, & qui hujusmodi rei dominium solùm habet utile.

II. *An Princeps accipiens rem datam in pignus, ejus fructus possit percipere interim dum solvit Feudatarius.* Resp. Idem omninò dicendum quod de Emphiteusi nam Prin-

ceps & retinet dominium rei directum, & in feudo præterea solvitur aliquod honorarium. Nam est obligatio honoraria, sicut in Emphiteusi est pecuniola. *Feudum* est, cùm datur dominium oppidi vel plurium solùm utile cum obligatione honoraria, sicut in Emphiteusi est obligatio pecuniola. *Feudatarius* est, qui rem cum dominio solùm utili accipit cum tali honoraria obligatione & subjectione ac recognitione dominii Principis.

12. *An redimendo vexationem possit aliquid dari ultra sortem?* Resp. Posse, nam hic nihil aliud fit, quàm damnum illatum, vel inferendum ab altero effugere.

13. *An cùm quis cogitur ad mutuum, & mutuat invitus, possit aliquid accipere ob injuriam quâ afficitur ab altero rem ab invito accipiente?* Resp. Potest, quia hæc non est ob mutui solutionem, sed ob peccatum injuriæ in pœnam. Tamen eam Judices solent moderari, præsertim si magna sit.

13. *An ex poena posita si non solvit mutuatori statuto tempore, possit aliquid accipi?* Resp. Potest

test licitè; quia illa officii obligatio ad mutuandum est obligatio ad habendum etiam paratas pecunias ut det petentibus, & meretur præmium suum cùm sit pretio æstimabilis. Cùm scilicet tale quis gerit officium ut det mutuò pecunias cuique, estque talis publica persona.

14. *An ratione obligationis mutuandi privatæ personæ possit?* Resp. Si quis se obligaret alteri ut quocunque tempore is vellet, ei mutuaret, cùm hæc obligatio valeat pretio & ille cogatur pecunias semper habere paratas in alterius gratiam, licitè posset aliquid accipere, tantùm scilicet quantùm illa obligatio valeret, sed non ampliùs.

15. *An ob damnum emergens possit ultra sortem accipi?* Resp. posse, quia tunc non ob mutuum accipitur, sed in præmium damni emergentis.

16. *An ob lucrum cessans possit aliquid exigi?* Resp. Positis debitis conditionibus, potest licitè lucrum ut præsens, vel quasi præsens, vel etiam futurum certum vel

probabile, idque deductis expensis & periculo ac laboris mercede, & deducto etiam hoc quòd res futura quia multipliciter potest impediri, minùs valeat quàm præsens. Et hæc omnia deducenda & taxanda erunt arbitrio boni viri. *Damnum emergens* est, cùm quis privatur aliquâ re quam habet æstimabilem pecuniâ, idque ex eo quod mutuum dat, & ideò dicitur Emergens, scil. ex mutuo. Vel est damnum quod mutuando pecuniam emergit ex mutuo nimirum, & ratione mutui, & damnum æstimabile pecuniâ. *Lucrum cessans* est cùm quis erat lucraturus illis pecuniis vel rebus quas dat mutuo, & quia mutuat privatur tali lucro, ideò debet esse cessans ob datum seu mutuum. Conditiones lucri cessantis ad hoc ut sit lucrum quamvis DD. varii varias assignent videntur tamen hæ solùm necessariæ.

1. Quando cessat illi lucrum qui erat reverà lucraturus.

2. Quòd cesset in gratiam alterius; quia illi mutuat.

3. Vt

3. Vt alteri indicet, se propter illum privari eo lucro, & alter in hoc consentiat, sicque deducatur in pactum.

4. Non exigatur totum lucrum sed expensis deductis.

16. An ratione moræ, quia scilicet non solvit constituto tempore, liceat quid exigere. Resp. Leges quidem jubent tunc solvere lucrum cessans, quia creditur aliàs lucraturus si habuisset pecunias; sed in foro conscientiæ non posset nisi esset verè lucraturus, & verè cessaret lucrum. Illa tamen violentia quâ vi detinetur illius pecunia posset aliquo pretio æstimari.

17. *An quando aliquis est lucratus pecuniis usurariis, vel alienis, possit licitè retinere, vel lucrum sit illius cujus erat pecunia?* Resp. lucrum factum pecuniis alienis deputatur industriæ lucrantis non ipsis pecuniis, quia pecuniæ non pariunt. Ex gratitudine tamen posset aliquid Domino reddere.

18. *An ex pecuniarum argenti vel auri vel gemmarum, & non mutuo sed locatione ad ostentationem* ut cùm *Nummularii volunt osten-*

dere mensas plenas pecuniis &c. licet aliquid ultra sortem accipere? Resp. Quia in hoc contractu usus distingvitur à Dominio, cùm pecunias illas nequeat distrahere Potest.

19. *An liceat aliquid accipere pro locatione auri vel gemmæ ad hoc ut coquatur in aqua vel jusculo.* Resp. licet. Quia hic usus distingvitur à Dominio, & aliquid etiam detrimenti videtur accipere pecunia vel gemma.

20. *Quid si aliquis accommodet annulum magni pretii v. g. pro nuptiis, licetne aliquid pro hoc exigere?* Resp. licet. Ratio eadem quæ priorum.

21. *Quid si quis pulcherrimas pecunias venderet pro aliis minùs pulchris & deformatis possetne aliquid pro hoc accipere?* Resp. posse, quia plus pulchræ valent quàm aliæ.

22. *Quid si aureos in argenteos vel æreos nummos permutet vel contrà, ut fit in cambio?* Resp. licere aliquid pro labore. Sed si det in uno loco ut recuperetur in altero vel contrà licetne? Resp. ob laborem, industriam licet.

23 De-

Depono apud alterum pecuniam, poteſtne aliquid pro aſſervatione petere? Reſp. Poteſt pro cura illius. De cuſtodia idem eſt dicendum quod de Depoſito.

§. 12.

Caſus in quibus vera ſed occulta aut aperta eſt uſura ſi mutuet cum pacto.

Caſus in quibus eſt hæc uſura ſunt iſti. 1. Dare mutuum ut alter remutuet. 2. Vt quia dediſti illi mutuum, veniat ad tuum molendinum, etſi eodem pretio quo cæteri. 3. Ut veniat ad emendum ex tua officina etſi juſto pretio, & quo cæteri. 4. Ut Domino vel Princeps conferat illi officium in ſua Repub. ut eſſe Scribam, Judicem &c. Vel ut vendat officium aliquod vendibile etiamſi juſto pretio dato. 5. Vt non ſolvat tributa ab ipſo Domino impoſita, vel licitè imponenda. 6. Ut emat à dante jura deſperata, vel inutilia: vel agrum ſterilem, etiamſi juſto pretio. 7. Mutuans naviganti, v. g. mille cum pacto ut alter ſecum ea mille aſſecuret, & det tot per centum. In

his omnibus casibus est usura occulta, sed vera. Quia aliquid æstimabile pecuniâ ab altero postulatur ultra sortem. Vel saltem ipsa obligatio emendi, vel ministrandi, vel aliquid agendi, quæ quidem obligatio pecuniâ æstimari potest, vel postulat ut aliquid accipiat detrimenti.

Nota, in prædictis casibus in quibus sola est obligatio emendi, aut vendendi justo pretio, aut remutuandi, fieri quidem injustitiam sed ad nullam teneri pecuniarum restitutionem, nisi forte alteri emere vel vendere, aut remutuari &c. attulit aliquid incommodi propter illam obligationem.

Manifesta, expressa, ac vera usura est in sequentibus casibus. 1. Si quis mutuet pecunias ut plus pecuniarum accipiat ultra sortem est manifestissima usura. 2. Si quis mutuet pecunias ut præter pecunias recipiat plus in aliquo genere mercium. 3. Si quis mutuet res alias, ut oleum, vinum, mel &c. ut plus accipiat in eodem vel in diverso genere, vel in pecunia. 4. Quidquid mutuet usu consumptibile, & pecuniâ æstima-

ſtimabile, ut plus accipiat pecuniâ quoque æſtimabile. 5. Si quis det res quæ non conſumuntur uſu, ſed tantùm ita ut pereant recipienti, & fructus ipſe aliquos recipiat.

§. 13.

De Uſura mentali.

Uſura mentalis eſt quæ in ſola mente conſiſtit non manifeſtata exteriùs. Cùm ſcilicet quis dat mutuum cum ſpe & intentione aliquid accipiendi ex mutuo, quamvis non paciſcatur de illo lucro, ne quidem implicitè, credit tamen mutuatarium aliquid daturum non ex liberalitate, vel ex gratitudine, ſed ex timore ne alio tempore negetur illi mutuum. Eſt autem duplex. *Purè mentalis* quæ non prodit quidem ad opus dando vel accipiendo. *Et non purè mentalis* quæ procedit ad opus dando vel accipiendo, cùm animus exteriori ſigno manifeſtatur. Et utraque poteſt eſſe mutua vel non mutua.

Actus mentalis Uſuræ ſunt tres. 1. Deſiderium illius mutui propter lucrum. 2. Spes illius

illius lucri propter mutuum. 3. Intentio illius lucri ultra sortem propter mutuum. Ultimò sequitur opus ipsum quo id lucrum recipit. At verò si sit spes lucri non ob mutuum, sed quia sperat alterum gratum futurum, vel lucrum aliunde proventurum non ob mutuum, ut si sit desiderium talis lucri ex gratitudine dandi, vel si sit etiam talis lucri intentio, non ob mutuum, non est mentalis Usura. Quæres. Obligatne ad restituendum mentalis usura? Resp. Purè mentalis ad nihil obligat nisi ad peccatum. Illa verò quæ procedit ad opus, obligat, sed diverso modo pro ejus diversitate. Si is qui accepit ultra sortem putat illum alterum dare ex gratitudine, tamen alter non dat ex gratitudine aut benevolentia sed ob mutuum, tunc quamdiu dantis animum ignorat, excusatur. Sed cùm primùm constiterit animus dantis, tenebitur restituere. Si verò, è contra, quis accepit animo usurario credens alterum dare ob mutuum, alter verò dedit ex gratitudine, tenebitur ex tali conscientiâ

resti-

restituere. Tamen cùm primùm constiterit animus dantis, poterit licitè retinere. Si verò sit mutua utrinque datio & acceptio malo animo, scilicet ob mutuum, tenebitur simpliciter restituere.

§. 14.

De Accipientibus ad Usuram.

Quæres. *An liceat accipere ab Usurario ad usuram.* ? Resp. Licet accipere à parato, quia non facit illi injuriam, sed ipse solùm damnum patitur. Hoc est qui mutuò accipit pecuniam ab usurario. Verùm tamen citra extremam necessitatem, non debet accipere tale mutuum, tum enim non sine peccato facit eam jacturam, & semper cum peccato proximi.

2. *An liceat inducere aliquem ut det alicui ad usuram* ? Resp. Si paratus quis est ad usuram exercendam licet petere si gravissimè egeo, & aliter dare non vult. At si non ita egeo, non deberem dare alteri occasionem seu peccandi materiam. Si verò non sit paratus, non licet petere ad usuram,

vel

vel inducere ut det, & recipiat cum usura.

3. *Licetne deponere pecuniam apud Foeneratorem?* Resp. Si habeat alias pecunias ad fœnerandum paratas, licet apud eum deponere, ut tutiùs servetur, non autem ut ille plus lucretur. Sin autem ille aliam pecuniam non habeat, non licet apud eum deponere quia daretur illi occasio peccandi.

Alia Quæsita.

Quid tenetur restituere usurarius? Resp. Quod per usuram accepit. 2. Fructus rei acceptæ (pecunia per se non fructificat) v. g. agri. 3. lucrum cessans. 4. Damnum emergens. Qui cooperati sunt volenti mutuum accipere cum usura, ad nihil tenentur.

Quid restituere tenentur hæredes usurarii? Sicut quisque accipit partem hæreditatis, ita partem restitutionis in se trahit.

Estne usura dare pecuniam Judæis ut de illa quotannis solvant decem per centum? Resp. Si daretur adhoc ut ex illa per usuras lucretur esset

esset participatio de usura. *An committit usuram qui dat mutuò pecuniam æream, ut illi tantundem in valore, sed in aurea, restituatur?* Resp. Committit, quia ratione mutui hoc onus imponit.

An qui cum factis impensis recuperat mutuum, possit impensas repetere à mutuatore? Resp. Posse.

Quando debet restitui mutuum? Resp. Illo tempore quod est præfixum, vel etiam antea. Si nullum tempus præfixum, non statim debet reddi, sed arbitrio viri boni.

Poteſtne dans mutuum aliquid accipere pro labore quem sustinuit magnam pecuniam numerando. Resp. Posse, Quia tunc non accipit pro mutuo. Sed non plus accipiat quàm labor valeat.

Quid si dubitet qui dedit mutuum, & accepit ultra sortem, an sit illud ratione gratitudinis, an ratione mutui? Resp. Tenetur restituere. Pauperes, parci, avari, non solent dare gratis ultra sortem, sed quasi coacti. Unde si acceperis ab illis est usura.

An

An possim statuere pœnam in mutuatarium v.g. Si mihi post annum non reddideris 100. *dabis* 105. Resp. Possum. Si suâ culpâ non solverit, nam pœna supponit culpam: & pœna sit proportionata, neque sub ea pallietur usura.

Quid si hic dem alicui frumentum, ut mihi alter reddat in alio loco in quo frumentum est carius? Respondeo Esse usuram: Sicut etiam est usura, si dem mutuò alicui centum, sed 50. in pecunia, alia 50. in mercibus quas ægrè essem distracturus. Item si dem v. g. triticum, ut mihi reddat triticum ex certo, non alio, agro, quamvis omninò æquale. Quia illi aufert libertatem reddendi aliud. Et semper est usura, cùm mutuatario imponitur obligatio, vel onus pretio æstimabile.

Quid si mutuò dedi decem modios tritici, nec assignavi tempus redditionis, repetam verò dum est carius triticum? Resp. Non esse usuram quia sibi imputet quòd non reddiderit quando erat vilius.

Ca-

Cavendum tamen ne in hoc contractu fraus subsit. Si enim prævideo futurum carius triticum, erit usura. Sed si ille adhuc reddidit triticum dum esset adhuc multò vilius, non fecit mihi injuriam. Aliud est si posuissem in pacto. Reddes mihi tantùm tritici quod æquet pretium istius quod tibi do.

An si accepi ab altero mutuum, & in pignus dedi hortum vel pagum, possit qui dedit mutuum, fructum interim percipere? Resp. Esse usuram. Sed tenetur illos vel restituere, vel in sortem computare. Imò tenetur, etsi fructus ille suâ negligentiâ non percepisset. Idem est de dolo, & culpa levi, non levissima.

Quid si detur pignus genero, donec dos reddatur? Resp. fructus pignoris potest accipere dum tamen ex iis alat uxorem. Et ut dos fuerit illi expresse promissa statim danda, neque in ejus consensit dilationem, neque fructus sint majores quàm onera matrimonii, excessus enim in sortem computan-

computandus. Idem eſt & de uxore mortuo marito ſi dos illi non ſoluta, & pignus fructiferũ retineat. Sed ſi mortua ſit uxor non poteſt gener hos fructus percipere.

Quid ſi mutuum ab aliquo accepero, & dem illi pignus hoc pacto, ut ſi certo tempore non reddidero mutuum, pereat pignus? Reſp. Si ille pignus facit ſuum, eſt uſura, nec pactum eſt validum.

An poſſim retinere quod mihi donat uſurarius per uſuram acquiſitum? Reſp. Non poſſe. Idem eſt, ſi non donet, ſed vendat.

§. 15.

De Participantibus in uſura.

1. Qui ſunt participantes in uſura ſic ut teneantur reſtituere? Reſp. Domini ſeu Principes, qui ex lege aut præcepto, aut imperio cogunt ad uſuram. Qui verò ſolùm non impediunt, non tenentur, niſi ipſi coêgerint ad ſolvendam uſuram.

2. Judices, qui ſententiam ferunt ut non ſolvatur uſura.

3. Teſtes ſi: e quibus non valeret contractus tenentur non aliter.

4.

4. Notarii seu tabelliones ut ex vi eorum instrumenti solvantur non aliter.

5. Proxenetæ seu inducentes non paratos ad dandum & accipiendum ad usuram, tenentur si inducti nolint.

6. Ministri usurariorum principales qui contractus celebrant. Minùs etiam principales, qui pecunias exigunt, dant, recipiunt, servant, scribunt. Servi autem domestici in aliis rebus servientes non tenentur, quamvis malè faciant si usurario inserviant.

7. Uxor usurarii ex dote sua non tenetur solvere nisi ipsa per se exerceat usuras, sed ex aliis acquisitis bonis unà cum marito maximè tenetur.

8. Filii & Hæredes Usurarii si capiant hæreditatem Patris tenentur, non aliter.

Contrahentes cum usurario contractibus aliis licitis, ut ementes ab usurario & vendentes ad nihil tenentur, quia tantundem relinquunt apud usurarium. Qui acceperunt aliquid dono ab usurario, si tum temporis usurarius habebat alia in bonis,

vel

vel habere ſperabat unde debita uſurarum ſolveret, licitè ab eo acceperunt dono data, & ad nihil tenetur qui accepit. Sed ſi non habuit, nec ſperabat ſe habiturum unde ſolveret; tunc non licuit, quia erant aliorum & tenetur ad reſtitutionem. Idem prorſus dicendum de eo qui accipit dotem ab uſurario.

De Uſura palliata & de Injuſtitia in aliis Contractibus.

§. 16.

De Emptione & venditione ac rerum pretio.

Aut datur res pro pecunia, & contrà, & hæc eſt *Emptio & Venditio*. Aut datur res pro re, & hæc eſt *Permutatio* ſeu *Commutatio*. Seu datur pecunia pro pecunia ;& hoc eſt *Cambium*. Res autem pro qua pecunia datur, aut eſt æſtimabilis pecuniâ, aut non. Si eſt, licitè emi & vendi poteſt. Si non eſt pecuniâ æſtimabilis, tunc nec emi nec vendi licitè poteſt. *Emptio aut venditio* eſt Contractus in quo res datur pro pecunia, & contrà pecunia

pecunia pro re. Erit autem justa si æquale sit pretium: injusta si sit inæquale.

Justum pretium est quo valet res in præsenti, ubi est numerata pecunia, cessante dolo ac fraude juxta arbitrium peritorum communiter in eo venditionis genere. Dicimus autem *communiter*. Quia illud censetur justum quo res communiter solet emi & vendi, non quo rarò. Aliter nullum certum pretium rebus assignari posset. Dicitur *in eo venditionis genere*. Quia una & eadem res plus valet & minùs. Numeranda etiam pecunia pro diversitate Gentium, venditionis, ut si in officina existens, vel apud mercatorem, vel apud privatum aliquem, vel sub hasta venditur: vel si absconditè emenda. Si minutim divenditur, vel non minutim sed in magna copia.

Triplex autem est *justum pretium*: Pium seu *minimum*, mediocre, rigidum seu supremum. Nam justum pretium non consistit in indivisibili apud homines, sed habet latitudinem; ita ut eandem rem hodie

die mercatores vendant per decem & per decem cum dimidio, & per undecem. Solent autem mercatores à minimo pretio descendere ad rigidum quod tamen pro tempore & mercis diversitate variat.

§. 17.

Regulæ & Casus particulares Emptionis ac Venditionis.

Ut judicetur contractus emptionis ac venditionis videnda sunt tria. 1. Num interveniat tacitum mutuum. 2. Num temporis expectatio. 3. An pro eo aliquid accipiatur. Hæc enim si adsunt, est *usura palliata.*

Secundò videndum, num misceatur aliquis contractus cum ipsa emptione ac venditione. Ut societatis, aut assecurationis, nam tum ex utriusque natura judicium est ferendum. Tertiò videndum an sit pretii æqualitas, nam si non erit, injustus contractus est. Si autem sit æqualitas, erit justus contractus. Jam ad casus.

Quæres 1. *An possit res vendi pluris quàm valet?*

valet? Resp. Nunquam licet si in se & per se justitiæ æqualitas spectetur; etsi non rescindatur contractus publico jure nisi sit excessus ultra medietatem justi pretii. In foro tamen conscientiæ tenebitur venditor ad restitutionem, nisi sit parum aliquid. Nam partes contrahentes videntur hæc parva sibi invicem condonare. Aliquando est res quæ alteri in se considerata non valet tantùm: at mihi & ad meas commoditates plus valet, & ideò si alter à me petat, potero tanto illi vendere quantum mihi valet. Nam quod supra valorem tunc accipitur, nam tam pro rei re, quàm pro meo damno tunc emergente accipio, ut dixi de usura.

2. *Licetne pluris vendere quia plus valet Emptori*? Resp. S. Th. negat, quia non licet alteri vendere suum, vel suam commoditatem: illa verò commoditas est Emptoris.

3. *An res quæ non habent commune pretium possunt pro arbitrio vendentis taxari. Ut sunt res raræ, veluti gemmæ.* &c.

&c. Resp. In hoc pretium id est, quòd apud emptores ulteriores, & rem ipsam agnoscentes reperitur, cessante vi, dolo, &c. In quibus illa valet maxima. Tanti valet res quantò vendi potest, cessante dolo, vi, &c.

4. *An tacere possit vitia rei qui vendit?* Resp. Vitia omnibus pervia & manifesta, quæ facilè à quovis emptore vel mediocriter perito possunt animadverti, licet tacere. Alia verò occultiora non licet, præsertim ea quæ detrimento possunt esse emptori si nesciat, & rem faciunt multò viliorem.

5. *Potestne venditor celare emptorem de adductis mercibus quarum notitia suas faceret viliores?* Resp. Potest. Neque enim id est contra Justitiam.

6. *An è contrà, Emens possit tacere ea quæ tunc pretium rei augerent.* Resp. ut proximè supra.

7. *An expectatâ pecuniâ possit res*

vendi

vendi pluris quàm valet? Resp. Non posse. Quia perinde est usura atque si acciperetur pro mutuo. Aliquando tamen licebit. 1. Si postulet intra latitudinem pretii justi quamvis rigidi. 2. Si sit damnum emergens. 3. Si lucrum cesset venditoris, cùm sperat interim quòd cresceret pretium. 4. Si sit genus mercium, quæ non possunt aliter commodè distrahi in tanta quantitate; ut solent esse lanæ, aromata, serica &c. quia in eo genere tantum valet, & in eo illud commune pretium censetur, etiamsi pretii quantitas numeratâ pecuniâ daretur viliore pretio, dummodo non excedat modo summum, quia tunc esset aliud genus vendendi.

8. *An liceat, è contrà, anticipatâ pecuniâ minoris rem emere quàm sit postea valitura?* Resp. Non licere, esset enim usura cùm ex tacito mutuo lucrum quæratur ut docet D. Th. nisi in his tantùm quatuor casibus. 1. Si sit intra latitudinem justi pretii quod datur. 2. Si sit damnum emergens dantis. 3. Si lucrum etiam cessans

dantis. 4. Si tale ſit minimum pretium ut aliter emi aut vendi non poſſit commodè, ut cùm à Paſtoribus ovium, vel Agricolis, vel Artificibus ſolet magna mercium ſumma emi priùs datâ pecuniâ.

9. *Quid ſi debitor anticipet ſolutionem ut minùs ſolvat, ut ſi poſt annum deberet dare centum, det nunc octuaginta?* Reſp. Non erit id licitum niſi alia adſit cauſa diminuens peccatum, ut damni emergentis, vel lucri ceſſantis.

10. *Quid ſi emit nunc fructum dandum tempore collectionis minore pretio quàm tunc valebat?* Reſp. Non licet, quia illud minus diminutum propter anticipationem pecuniæ, eſt in virtute mutuum, & propter illam expectationem.

11. *Licetne frumentum vendere quando cariùs valet, ſolvendum poſtea non in pecunia, ſed in frumento, quod tantundem valeat tempore collectionis.* Reſp. Per ſe contractus hic non eſt illicitus, tamen ſolet eſſe multis de cauſis injuſtus, & contra commune bonum Reipubl. & ideò ſolet legibus vetari:

tari: quia hoc pacto solent pauperes Agricolæ exhauriri, & toto pene frumento suo privari, cùm tempore collectionis soleat nimis vili pretio æstimari ac vendi. Habet præterea injustitiam hanc annexam, quia obligat Rusticum in frumento pretium reddere & non in pecunia, vel aliis rebus prout melius possit.

12. An liceat vendere pluris quàm valeat si erat servaturus rem in aliud tempus, in quo pluris erat valitura certò aut verisimiliter. Resp. Posse licitè, subductis tamen expensis & periculo si quod interveniebat, & laboris pretio, &c. arbitrio boni viri. & potest duobus modis pacisci, vel indeterminato pretio quantum tunc valebit. Vel determinato, videlicet inter summum & medium quod putatur tunc valitura.

13. *An cùm erat ad alium locum res transmissurus, ubi pluris erant valituræ certò aut verisimiliter.* Resp. Omninò est eadem ratio, ut proximè suprà & eadem solutio quæstionis.

14. *An liceat rem emere minoris cum pacto*

retrovendendi? Resp. licet. Obligatio enim illa est pecuniâ æstimabilis & rem Emptori viliorem facit. Imò si emeret tanto pretio, cum hoc pacto retrovendendi ac si simpliciter emeret, faceret injustitiam contra Venditorem.

Pactum retrovendendi est, in quo remanet potestas apud vendentem recuperandi rem quam vendidit dato pretio, & emens cogitur ei cùm volet vendere, & inde dicitur Retrovenditionis, eidem videlicet vendenti vendere.

15. *Quantum minuit de pretio pactum retrovenditionis*? Resp. In quibusdam rebus ut DD. volunt, & praxis ostendit, quædam minuit pretii partem, ut in Censibus. In quibusdam tertiam, ut in prædiis, & domibus, imò aliquando dimidium pro ratione illius incommoditatis privationis rei ad alterius arbitrium.

16. *Quid si emat cum pacto retrovendendi & deinde locet statim eidem venditori recipiens aliquid, puta tria, quinque per centum?* Est suspectus usuræ & in jure damnatus, præsertim

Tertim si obliget vendentem ad locationem, & maximè si sunt armenta, boves, &c.

17. *Versura seu versio* est, cùm quis emit à Mercatore, vel alio rem, & statim eidē vendenti revendit minore pretio quàm emit, sed tamen tanto quanto apud alios posset vendere. Quæritur *an id liceat*? Resp. si statim fiat ille contractus & venditio post emptionem est suspectus usuræ, & vitandus, & habet speciem injustitiæ, quòd ipsemet tanti æstimet vendendo, & mox ipse minoris æstimat ab illomet emendo. Non est tamen simpliciter, nec per se injustus contractus, si tantum dat quantum apud alios posset reperire, cùm res illa valeat plus in manu artificis, vel mercatoris, quàm in manu privati, & sic diversum venditionis genus in officina vendere & extra officinam: nam ille non reperiret plus apud alios. Sed si in pactum deducat mercator, ut sibi venundetur, etiamsi eo pretio quod apud alios reperiret, esset usura. Sic etiam, si liberè ven-

deret ſed minori pretio quàm apud alios inveniret, eſſet, non quidem uſura, ſed per ſe illicitus & injuſtus contractus obligans ad reſtitutionem.

Negotiatio eſt cùm aliquid quale eſt emptum, venditur majori pretio: ſed ſi mutetur per artem, v. g. emitur frumentum, & factum ex eo crematum venditur, non eſt negotiatio. Prior Clericis eſt prohibita Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. de Refor. ut peccent mortaliter ſi eam exerceant, & ſi ſint in ſacris & poſt trinam Epiſcopi admonitionem, beneficia amittant, quæ tamen recuperant, ſi à negotiatione ceſſent. Poſterior eſt Clericis permiſſa. Sed non conceditur illis conducere prædia, ut fructus eorum vendant, & tenētur ſolvere in hoc caſu gaballas. Licet autem Clericis & Religioſis per alios negotiari, nec per hoc peccant mortaliter, ſi faciunt ex juſta cauſa.

Petes, *an liceat rem emere quam conſtat eſſe furto oblatam*? Si emitur ut Domino reſtituatur, idque parvo pretio; nec Dominus illam

illam aliter recuperare potest, licet, & Dominus tenebitur pretium Emptori restituere, quia utiliter negotium Domini gessit Emptor.

Quid si quis bona fide emit à Fure, postea ubi rem cognovit esse furtivam, potestne Furi restituere? Resp. Potest, sed etiam Fur tenetur Emptori pretium reddere, si illud non possit aliter recuperare. Nam, cùm non emisset si scivisset furtivam, est contractus involuntarius, ac potest illum rescindere, ac rem Venditori reddere, & sic pretium recuperare, & cùm injuriam non fecerit Domino, potest rem in eo statu reponere in quo fuit. Sed si malâ fide emisset, non furi sed Domino restituere deberet, cùm scilicet sciat, aut dubitet rem esse alienam, unde injustè illam possidet, teneturque etiam cum isto pretio restituere, imò si perdidit compensare. Non desunt tamen, qui putant, posse eum Furi reddere, ut pretium recuperet.

An possit carius vendere Mercatori quem scivit merces vecturum ad eum locum, in quo plu-

ris eas vendet? Resp. Licet, nihilominus habitâ ratione impensarum & laborum, quos interim subibit mercator; si tamen ipse illas erat ad eundem locum deportaturus, & ad preces illas Mercatori vendit. Quia hîc intervenit lucri cessatio.

Illicitum est vendere merces pretio currenti, reservando sibi, ut si v. g. post mensem majoris vendi poterunt, augeat emptor pretium; non diminuendo simul, si minoris fuerint pretii, obligando interim emptorem, ut ad illud tempus detineat merces.

An si rem tradidi Petro vendendam pro centum, ille verò vendidit pro 120. *debeat mihi dare totos* 120? Resp. Debere reddere to o 120. Nam cùm in talibus casibus designantur v. g. centum, solùm indicatur, ne minoris vendat. Molin. Less. Sed si vendens de suo solveret illa centum, ut rem suam faceret, non teneretur reliquũ mihi reddere.

Si mittatur famulus ut rem aliquam emat, quam potest emere pro centum, emit autem pro 80. *teneturne residuum reddere* Domino? Resp.

Resp. Teneri, quia debet rem Domini in ejus utilitatem tractare.

Si fingeret aliquis ut cariùs vendat, mox in pretio majori futuras merces, ad quid teneretur? Resp. Ad restitutionem illius partis pretii, ad quam tali mendacio vendentem extraxit.

An peccat, qui emit agrum communi pretio, sciens in eo defossum thesaurum? Resp. Non pecccat, S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. Sed si non à longo tempore ibi est defossa pecunia, non dicitur thesaurus, & si scitur à quibus defossa, illis reddenda, alioqui est inventoris. Thesaurus in loco publico repertus, ut in platea, totus est Inventoris.

Quid si Rusticus vendat gemmam modico ignorans ejus pretium? Resp. Si emat æquè ignorans ejus pretium, valet contractus, etsi postea cognoscat gemmam esse pretiosiorem, quia uterque se exponit periculo. Sed si vendat scienti ejus valorem, non valet.

§. 17.

De Monopolio.

Monopolium eſt, cùm plures, vel omnes ejus generis merces apud aliquem aſſervantur, qui eas non vult vendere, niſi pretio quo ipſi placuerit: & qui illas aſſervant, conveniunt in eo inter ſe, ut non vendant alio pretio. Eſt autem *duplex* vel *cum pacto vendentium*. Cum inter vendentes ſic convenit, ut nonniſi tali pretio vendant. Vel *ex parte ementium*, ut non niſi tali pretio emant. Non eſt licitum privatis monopolium, quia continet injuſtitiam aut damnum alienum. Sed Principi & Reipub. ob bonum ſolum commune licet, ſed non propter bonum privatum. Qui ob privatum commodum inſtituit Monopolium tenetur reſtituere.

§. 18.

De Cenſibus.

In rebus aliud eſt ſubſtantia ipſa rei, aliud fructus quos fert, ſeu utilitas rei & cõmoditas quam affert ejus uſus fructûs.

Cenſu

Census eſt penſio quæ ſolvitur de fructibus ſeu proventibus rei, vel eſt jus ad hanc penſionem quæ de proventibus ſolvitur. Unde advertendum, alium eſſe cenſum *materialem*, quæ eſt ipſa penſio. Alium *formalem* ſcilicet jus ad talem penſionem. Et hoc jus rurſus *duplex eſt*. Vel paſſivum in eo qui ſolvit cenſum: Vel activum in eo, qui emit, hoc eſt, jus ad eam penſionem recipiendam, & uterque tam Materialis, quàm Formalis vocari ſolet Cenſus, & pecuniâ æſtimari ſolet.

Multiplex eſt cenſus, ex triplici tamen capite dividitur. *Ex re ſuper quam* imponitur. 2. *Ex modo* quo imponitur. 3. Ex re ipſa ſeu *penſione* quæ ſolvitur. *Ex re* ſuper quam imponitur. Alter eſt Realis, alter Perſonalis. Et realis rurſus ex tempore ſubdividitur. Nam eſt vel *perpetuus*, vel *ad tempus*. Et perpetuus rurſus *Redimibilis*, vel *Irredimibilis*. Ad tempus verò vel *determinatum* v. g. tot annos, Vel ad *indeterminatum*, ut pro vita unius vel duorum qui vitalis cenſus, vel Vitalitius dicitur.

Ex

Ex *modo* quo imponitur duplex eſt. Quidam *Reſervativus* cum quis dat rem, puta domum reſervando ſibi penſionem. Quidam *Conſignativus*, cùm quis retinet rem, & ſolvit ipſe tot in ſingulos annos. *Ex re quæ ſolvitur*, Quidam eſt *Fructuarius*, cùm ſolvuntur ipſi fructus. Quidam *Pecuniarius*, cùm in pecunia ſolvitur.

§. 19.

De ſingulis Cenſibus.

Realis eſt, qui ſupra rem aliquam conſtituitur, ut ſupra Perſonam. *Irredimibilis* eſt cùm non poteſt qui ſolvit cenſum ſe liberare à ſolutione illi' etiam reddito pretio, niſi altera pars conſentiat. *Redimibilis* eſt, cùm poteſt reddito pretio ſe liberare, qui ſolvit cenſum, etiam nolente eo qui recipit.

Vitalis ſeu ad tempus, qui durat ad vitam unius vel plurium. Vel aliud quodcunque tempus certum vel incertum. *Perſonalis*, qui ſupra perſonam unam vel plures, aut ſupra totam aliquam communita-

nitatem imponitur nullâ re aliâ assignatâ. *Reservativus.* Cùm quis datá alteri suâ re, ut puta, domo, horto, reservat sibi quid solvendum singulis annis vel mensibus. *Consignativus.* Cùm è contrà quis retinet suam rem apud se, sed assignat alteri in ea tot in singulos annos vel menses ipse solvenda. *Fructuarius.* Quando solvitur in fructibus. *Pecuniarius.* Cùm solvitur in pecunia.

§. 20.
De Censu perpetuo redimibili.

Conditiones in censu redimibili servandæ ut sit licitus sunt sequentes positæ in Bulla Pii V.

1. Ut sit positus in re immobili, fructifera certa & determinata. 2. Pecunia vera numerata coram testibus & Notario, in ipsomet contractu, & non priùs. 3. Non sit cum solutione anticipata. 4. Neque obliget in casibus fortuitis ad solutionem censûs, in quibus aliàs ex natura contractûs non tenebatur. 5. Ne prohi-

prohibeant alienare rem ſupra quam cenſus eſt conſtitutus, quoquo modo vel pacto. 6. Si ſit res vendenda ipſe Dominus præferatur, & per menſem expectetur. 7. Sine ulla pœna ſi non ſolverit, ſed agat ſolùm juridicè ſi non ſolverit. 8. Ne cenſus augeatur ex non ſoluta penſione pro rata. 9. Ut fiat ſine ullo alio venditio onere. 10. Si res facta fuerit infructuoſa ex toto, vel ex parte, pro rata diminuatur censûs ſolutio interim dum res ita permanet. 11. Ut pro eodem pretio extingvi posſit etiam poſt tempus præſcriptionis centum annorum, quocunque tempore vendenti commodum fuerit. 12. Dum tamen per menſem prius admoneat.

§. 21.

De pretio Censûs.

Pretium censûs perpetui & irredimibilis in communi quidem pretio quatuor vel quinque communiter per centum. Alii verò pro ratione rei in qua conſtituitur,

tur, & ejus certitudinis, vel nobilitatis, vel pluris, vel minoris.

Pretium verò censûs perpetui redimibilis si sit simplex venditio censûs sine ullo prorsus alio onere vendentis, sic ut possit redimere per partes etiam minimas, communiter quidem & in communibus prædiis, est novem vel decem etiam per centum si id consvetudo regionis ferat. Si verò in integrum potest tantùm redimi & non per partes, erit septem per centum communiter ut in communibus prædiis. Pretium verò censûs vitalis est communiter quidem, ad rationem unius per octo. Hoc est 13. plus minùs pro centum, sed aliquando etiam 14. vel 16. pro ratione vitæ Personæ, si sit infirmus, vel senex &c.

Personalis census est duplex. *Merè personalis*, cùm sola persona, nec ulla res præter illam obligatur ad censum, ut scilicet ille solvat ex propriæ artis fructibus, industriâ, labore. Talis parum est tutus. *Non merè personalis*, cùm in persona & re con-

constituitur ita, ut non quidem in re census constituatur, vel ex ea solvatur, sed res additur solùm propter assecurationem census. *Mixtus ex reali & personali* super re & persona constituitur ita ut si res pereat maneat obligata ad solvendum.

In censu transfertur dominium rei in alterum: in emphiteusi manet penes priorem dominium rei, & solum utile transfertur. In emphiteusi si non solvat Clerico per biennium, ipso jure amittit dominium utile: & qui laico per trienium, in censu non amittit, & solùm cogitur solvere. Prior, si non monito Domino vendat, amittit: & si monito, debet illi partem dare pretii decimam: in censu potest non monito domino vendere, & nihil illi tenetur dare.

Petes. *An licet ad censum dare rem fructiferam*? Resp. licet sive census reddendus sit in pecunia, sive in fructibus: Census Personalis est prohibitus jure Pontificio.

An licet emere censum minori pretio quàm sint ex eo speratæ pensiones? v. g. emit censum

tum pro centum, daturus pensionem singulis annis per decem, intra 20. annos pensiones superabunt solutionem census. Resp. licet. Et hoc modo possum pro decennio alicui dare supra rem fructiferam aureos 900, ut mihi singulis annis solvat centum. Quo finito tempore ego amitto datos 900, & ita me æquè periculo expono atq; emptor. Minus autem do quia emo jus ad pensiones sed jus minus valet quàm res ad quam est jus, itaque possum minoris emere. Justum autem pretium est census quod lege vel consvetudine publicâ statutum.

Potestne quis redimere censum perpetuum? Resp. Posse redimibilem, reddendo id quod acceperat pro obligatione ad solvendam pensionem. Sed si res subjecta censui pereat non tenetur venditor ejus restituere pretium, neque emptor potest illud requirere. Pensiones illæ debent percipi ex re subjecta censui.

An possit quis dando rem suam ad censum, apponere pactum, ut licet res perierit, nihilominus solvatur census? Resp. non licet.

An

An possit addi pactum, si non solverit censum, intra duos vel tres annos, ut amittat rem in qua est census? Resp. id esset injustum, sicut est injustum. Si non redemeris pignus intra duos vel tres annos, pereat.

An debet esse res talis in qua constituitur census, ut ejus rei fructus æquent pensionem? Resp. debet. Quia pensio ex fructibus percipi debet.

Potestne quis petere censum anticipatè futurorum annorum? R. Non posse. Sed *possumne aliquid petere pro eo, si mihi non solvatur pensio tempore debito, quod mihi interea fructus cessat, damnum emergat?* Resp. Possum, sed hoc non est deducendum in pactum, sicut etiam non licet, si non solverit debito tempore, ut pœnas aliquas incurrat.

An si mihi non solvit pensionem, possim eam ad summam addere censûs. Resp. Non.

An census extingvatur si domus corruit vel mola in qua census constitutus fuit, etsi nova exstruatur ex iisdem lignis? Resp. Extingvi: spectanda tamen in hoc consvetudo.

§. 22.

§. 22.

De Cambio & pecuniarum valore.

Commutatio est triplex. Aut enim datur pecunia pro merce, & contrà ut communiter, & hæc est emptio, & venditio. Aut merx pro merce, & hæc propriè retinet nomen generis & dicitur Commutatio, aut Permutatio. Aut pecunia pro pecunia, & hæc propriè est *Cambium.*

Pecunia duobus modis considerari potest. Vel ut est metallum tantùm non habitâ ratione valoris ex figura publica impressa à lege dati. Et hoc modo est merx quædam, & ratione talis permutatio non est cambium, sed erit venditio illius metalli, vel permutatio, vel alius contractus. Altero modo consideratur ut pecunia est mensura aliarum rerum ex valore à lege sibi dato, & eo facta permutata facit cambium.

Cambium ergo est permutatio pecuniæ pro pecunia ut pecunia est. Est autem duplex. Fictum & Verum. Iterum *Verum* est

aut

aut *ſimplex*, in quo nullus alius contractus admiſcetur. Aut *Mixtum*, in quo alii admiſcentur contractus. Et ſimplex, aut in eodem fit loco, aut à loco ad locum. Si *in eodem loco* rursus aut in eodem tempore, & eſt Minutum cambium. Aut in eodem loco ſed diverſo tempore, & eſt cambium *ex officio* vel obligatione publica mutuandi. Jam verò ſi à loco in locum eſt cambium *Reale* ſive *per literas*, & hoc fieri poteſt vel in eodemmet tempore ut ſi hìc & illic ſolvatur pecunia, vel diverſo propter transmisſionem literarum.

Quæres. Quomodo pecunia commenſuretur inter ſe in eodem loco ad locum. Reſp. In eodem quidem loco facilis eſt ratio. Majores enim menſurantur per minores, & minores per minimos. Nam minimæ ſunt ultima mensura, aliquoties enim repoſitæ efficiunt totum. In diverſis verò locis, ſi omnes pecuniæ in utraque regione ſunt communes, ita procedendum ac ſi eſſent in eodem loco: Si autem non eadem ſit pecunia ſed diverſa propor-

proportio, tum per minimos utrique regioni communes essent majores mensurandæ, si sint argenteæ minimæ communes utrique regioni. Si nullæ sint minimæ communes vel æris vel argenti sed solùm auri, tum ex duplici proportione colligetur tertia, videlicet ex proportione auri ad argentum unius Provinciæ, & proportione auri unius ad alterius, & proportione unius argenti ad alterius. Et idem etiam fiet, si nullæ omnino sint communes, & tunc pondere & quantitate commensuratio facienda.

§ 23.

De singulis Cambii speciebus.

Fictum vel siccum est Cambium cùm fingitur esse sed non est. Dicitur siccum quasi sine humore, hoc est, sine commutatione pecuniæ. v. g. Cùm is, qui nihil habet alibi quod solvat nec putat se habiturum tempore solutionis, tamen eò transmittit literas, aut fingit se transmittere, ut pecuniæ lucrum accipiat in eo loco ubi pe-

cuniam non habet. Vel cùm Campſor qui dat pecuniam, mittit ſchedulam ad ſuos Miniſtros, ut accepient ſolutionem pro altero cui datæ ſunt pecuniæ faciendam. Eſt autem illicitum & Vſura palliata.

Minutum eſt quod fit eodem tempore & loco, ut diximus. Vel eſt permutatio diverſarum pecuniarum inter ſe, majorum pro minoribus, vel meliorum pro deterioribus, & è contra. Actus hujus cambii ſunt in genere duo. 1. Cùm quis permutat pecunias aureas argenteis vel æreis, majores pro minoribus ejuſdem metalli. Meliores pro pejoribus vel defectum habentibus. Unius regionis pro alterius prohibitos pro approbatis, pulchros pro deformibus. Alter, cùm quis locat ad oſtentationem, ad medicinam, ad ornatum, &c. quamvis hic actus non eſt propriè cambium ſed locatio. Solent tamen Campſores eo frequentius uti quàm alii.

Eſt autem licitum Cambium minutum.

Cauſa

Causa verò justitiæ in eo cùm minus dat & plus accipit, est actus ipse numerandi & asservandi, qui valet & meretur justum pretium. Item labor, expensæ, obligatio habendi paratas pecunias, ex officio ad dandum petentibus, ac demum, quia est officium utile Reipub.

§ 24.

De Cambio reali seu per literas & Regulæ de illo.

Cambium Reale sive per literas est, quo pecuniæ permutantur, ab uno loco ad alterum per literarum missionem, & earum virtutem.

Quæres: *Possuntne Mercatores aut Campsores augere pecuniarum valorem seu pretium, vel inter se, vel etiam cum aliis Civibus privata authoritate?* Resp. Non possunt mutare valorem lege taxatum, nec inter se pecuniarum proportionem, idque nec in eodem loco, nec à loco ad locum, sed in unoquoque loco pecuniæ debent suum retinere pretium lege ibi taxatum.

Regu-

Regulæ pro cambio reali judicando. 1. Videndum an intercedat tempus longius quàm sit necessarium,& temporis dilatio. 2. An interveniat mutuum occultè & palliatum. 3. An sit fictum cambium vel siccum, nam tunc erit usurarium, vel de usura suspectum. 4. An sit Cambium simplex,vel mixtum aliis contractibus simul, vel obligationibus. Nam tum ex singulis contractibus vel obligationibus, qui includuntur, & earum mixtione erit judicandum. 5. An denique aliquis dolus vel fraus, vel quid interveniat, quod talem vitiet contractum. Pretium item an sit justum vel injustum, & ex quibus causis augeri possit,vel minui, quod ex sequentibus dignosci poterit.

§ 25.

De Causis justis Cambii realis.

Causa 1. est ob majorem vel minorem proportionem pecuniarum inter se in una regione quàm in altera. 2. Ob majorem vel minorem proportionem pecunia-

niarum ad merces, vel ad lucrum, quod fieri poteſt in una Provincia majus vel minus quàm in altera. 3. Ob pecuniarum copiam vel inopiam. 4. Ob multitudinem vel paucitatem petentium. 5. Ob utilitatem vel necesſitatem aliorum petentium. 6. Ob augmentum valoris pecuniarum, vel factum, vel quòd ſperetur, ſeu diminutionem. 7. Ob abſentiam vel præſentiam pecuniarum. 8. Ob translationem pecuniarum realem vel in virtute. 9. Ob periculum cui ſe exponit & ſuas pecunias. De his ergo cauſis dubitatur à DD. & quidem variè de illis opinantibus.

Quæres. *Quæ eſt ergo vera & legitimi lucri ratio in Cambio reali, ſive per literas?* R. Sunt actus Campſoris ſeu permutandi, hoc eſt, accipiens & ſe obligans ad dandum alibi, ubi alter indiget. Vel contrà, hîc dans, & ſuſcipiens in ſe hoc ut alibi recipiat, & habeat quod alibi pro ſe recipiat & ſervet cum oneribus annexis, labore, induſtria, periculo, expenſis, & præſertim

tim ex officio susceptis. Hæc est vera & certa causa lucri in hoc cambio. De illis autem dictis superiùs variæ sunt apud DD. controversiæ, nec veras eas putamus.

§. 26.

De pretio justo seu lucro cambii realis.

Tres sunt Regulæ pretii seu quantitatis lucri justi in cambio reali, seu per literas. Duæ quidem primæ speculativæ, tertia verò practica.

1. Ut sit tantum lucrum, quantum ejus officium & officii actus legitimi merentur ex justitia illis annexa, qui sunt, labor, cura, sollicitudo, diligentia, expensæ, ministri necessarii, periculum, idque judicio bonorum ac prudentum, & in ea re peritorum.

2. Quantum soleant mercatores communiter iisdem pecuniis lucrari paulò plùs aut minùs. Solent autem communiter decem per centum in singulos annos in communi mercatura.

3. Quan-

3. Quantum communiter publica fert consuetudo, si tamen cùm augetur pretium non augeatur ex aliqua indebita causa quod tamen non rarò contingit. Esset autem consultum, ut paulò minùs lucri acciperet, quàm communiter in foro accipitur, quia sæpè ex aliqua injusta causa saltem ex parte augetur à campsoribus & mercatoribus. Hæ quidem sunt Regulæ justi pretii in cambio reali de loco ad locum cum quibusdam conditionibus à Pio V. in Bulla de cambiis sapientissimè positis. Et hæ sunt.

1. Ne cambia sint sicca & ficta sive missis, sive non missis literis. Et ne in eodem tandem loco fiat solutio ubi pecuniæ datæ fuerant.

2. Ne Campsores præstitutum solutionis terminum lucro ex tacita vel expressa conventione recepto, seu etiam tantummodo promisso differant.

3. Ne si fortè differtur solutio, lucrum præstetur sive à principio, sive postea.

4. Ut non aliter quàm primis Nundi

nis fiant, ubi mos iste, ubi illæ celebrantur: ubi non celebrantur, pro primis terminis, juxta receptum locorumusum exerceantur, ab usu illo procul rejecto cambio quod secundis & deinceps nundinis, sive terminis exercendis suo intermino. Ratio habeatur longinquitatis & viciniratis locorum, ne longiores termini præfigantur quàm requirant locorum distantiæ.

§ 27.

De Montibus pecuniariis.

Pecuniarius mons in genere est pecuniarum cumulus, vel aliarum rerum, ut frumenti, publicè asservatus, ex quo datur vel accipitur, soluto aliquo pretio ultra sortem eidem monti. *Pecuniariorum montium variæ reperiuntur formæ.*

1. Ut emantur in illum montem, tot in singulos annos redimibiles reditus ad voluntatem montis ipsius, & hæc est quidem species censûs.

2. Ut si ille qui huic monti dedit mutuò moriatur, in omnia succedat mons ipse.

ipse. Quàmdiu verò ille vivit, possit repetere pecunias cùm volet, & aliquid interim accipiat in singulos annos & menses.

3. Est publicum mutuandi officium, ita ut ipsi monti reddatur aliquid ultra sortem, ad ipsius montis conservationem, vel ad alendos ejus ministros.

4. Cùm non mutuatur cuivis potenti sed solùm pauperibus, parùm aliquid accipiendo ultra sortem ad ipsius montis conservationem, vel ad alendos ejus ministros. At verò nihil omninò accipiendo ultra sortem. Hic autem vocatur *Mons pietatis.*

Causæ autem cur sit justus & licitus, præter illam quam diximus, quòd videlicet illa quæ solvuntur ultra sortem, non dentur ob mutuum, sed ad alendos ministros, vel ad pignora servanda, vel ad alia onera ne mons minuatur. Est prætereà; Quia quæ ibi ultra sortem solvuntur, redundant in utilitatem omnium.

Sunt & alii modi montium, ut hi quos

vocant pagos Genuenses, vel loca Venetiis, &c. De quibus ferendum est judicium ex eorum conditionibus & actibus quos exercent.

Conditiones Montis Pietatis.

1. Ut non detur pecunia mutuò nisi in tempus certum.

2. Ut non detur sine pignore.

3. Ut si præfixo tempore non solvatur sors, pignus sub hasta sine mora exponatur, ut reficiatur cum aliis.

4. Ut non mutuentur nisi intra certam quantitatem v. g. 25. aureorum plùs minùs, aliter non pauperibus & indigentibus, sed divitibus inservirent. Solent etiam aliæ esse conditiones pro diversitate institutionis cujusque montis.

§. 28.

De Contractu Societatis.

Societas est contractus in quo duo in unum conferunt, vel pecuniam, vel unus pecuniam alter operam & industriam; aut uterque partim pecuniam partim operam, & inde habent communes expensas,

pensas, usum lucri, & damnorum pro rata portione. *Conditiones* quas debet habere Societas ut sit licita, hæ sunt.

1. Ut Capitale utriusque partis æquè subsit tam lucro quàm periculo: aut si inæqualiter, id aliunde compensetur.

2. Ut servetur debita proportio lucri ad sortem cujusque.

3. Ut absit omninò dolus, fraus, vis.

Quæres. Quotuplex sit Societas? Resp. Quantùm ad præsens negotium attinet, Societas pecuniaria seu ad lucra destinata, est *Quintuplex.* 1. Mercatorum. 2. Artificum. 3. Armentorum & Pecorum. 4. Quæ Romæ vocatur Societas officiorum. 5. Quæ vocatur A godere. Cum omnibus utrinque res datur fruenda, & pro utriusque partis libitu vel retinetur, vel redditur. Seu cùm unus pecunias, alter rem pro libitu retinet.

De singulis Societatibus, eorum justitia & modo quo fieri debent, hæc sunt notanda.

In Mercatoria servatur justitia, si confe-

rantur pecuniæ pecuniis, & opera operæ, lucra lucris, & damna damnis. Quodsi alter pecuniam & alter operam posuit, cõmensurentur pecuniæ alterius operæ, atq; in mercatura dari solet communiter quarta pars lucri ei qui gerit negotia, & tres partes ei qui ponit pecunias.

In societate cum Artifice similiter commensuratur pecunia operæ & industriæ, ac pro diversitate artificii plus vel minus datur, quo pretiosius vel vilius.

Quæres. 1. *An possit esse licitum si quis det Artifici, vel Mercatori, aut Campsori, sortem seu Capitale salvum, & præterea certum lucrum v. g. quinq; procentum.* Resp. Non esse licitum, nisi fiat cum duplici assecuratione sortis & lucri, dato pro re pretio, aut parte lucri remissâ ad arbitrium boni viri. Cæterùm quia speciem habet usuræ non videtur permittendus hic contractus, nisi pupillis, viduis, &c.

2. *Licebitne dare hoc modo Puero qui non negotiatur, Militi, Clerico, & similibus?* Resp. Nullo modo, etiamsi exprimatur

hic

repetantur amissa, & lex faveat. 6. Si quis compulit vi alterum ad ludendum. 7. Si nimia esset & immoderata quantitas quæ ludo exponitur habitâ proportione personarum, tum aliqua saltem pars esset restituenda.

3. *Peccaretne mortaliter Clericus vel Monachus ludens?* Resp. Si in ludum magnam pecuniã, præsertim ex fructib9 Ecclesiasticis exponat. Si cum scandalo ludat ut jam propter ludendi frequentiam lusor appelletur. Verùm si ob honestam recreationem & modicè ludant, potest fieri ut nec venialiter peccent.

§. 23.

De Rebus inventis.

Inventa quæ nunquam habuerunt dominum, vel ejus non extat memoria, vel quia ea contemnit, sunt Inventoris; Sed si habuerunt vel habent dominum, restituenda sunt illi. si factâ diligentiâ non inveniatur dominus rei, possunt dari pauperibus, vel retineri ab inventore paupere.

Thesaurus cujus Dominus nescitur, si inveniatur in proprio fundo, totus est inventoris. Si in alieno casu invenitur, medietas una erit Domini fundi, altera inventoris juxta D. Thom. Si studiosè quæratur cum licentia Domini donantis quia ipse non vult quærere, totus est inventoris. Si quæratur contra vel præter voluntatem Domini, totus est Domini. Si sciendo thesaurum esse in fundo emitur fundus, totus thesaurus est ementis. Consvetudo autem quòd thesauri inventi Principibus reserventur non obligat in conscientia juxta quosdam DD. Si tamen alicubi lex aut consvetudo rationi consona aliud suaderet, illud tenendum esset.

§. 33.
De reliquis contractibus.

Donatio ob turpem causam non obligat ad restitutionem licet cum peccato accipiatur. Ob injustam verò causam obligat, quia non potuit emere nec vendere injuriam alterius; vel quod erat alterius.

Furtum

hic ille contractus est enim cambium palliatum.

In societate socida seu rusticorum, vel pastorum pecorum & armentorum, simili modo etiam commensuranda opera & industria fructibus qui ex illis pecoribus & armentis percipiuntur. Et tantum illi dandum ex eis quantum meretur. Nam si pacta fiant cum notabili damno socii ut cùm lucrum & utilitas non respondet ex æquo partibus collatis ad societatem. Vel cùm in pacto ponitur, ut animalia etiam fortuitò, & non ex culpa rustici aut pastoris, ipsi pereat est injustitia.

In societate Officiorum accipiuntur licitè decem aut 12. pro centum duplici de causa. 1 Propter periculum vitæ, nam si moriatur qui dedit pecunias ad societatem ejusmodi, perit illi tota & fit alterius. 2. Quia hæc officia semper venduntur viliori pretio quàm valent, sunt enim reditus Principis vili pretio venditi ita ut verè reddant 10. aut 12. pro centum, atque ideò socius meritò tantundem reci-

piat. Qualis autem hic sit contractus, & quibus fiat conditionibus ex Bulla Pii IV. disci potest quâ illum approbat. Conditiones autem in ea contentæ sunt sequentes. 1. Societas fiat cum pactis licitis & honestis. 2. Ne fiat ultra valorem officiorum super quibus constituitur. 3. Ut accipientes pecuniam ad societatem sociis requirentibus debeant exprimere alias societates super eodem officio contractas, si quæ sunt. 4. Ut si eas falsò negaverit, vel ex parte tantùm expresserit, officii ipsius privationem incurrāt, & tum ipsi ac fidejussores satisfacere sociis & conditionibus teneantur. Societas ergò officiorum est, vel cùm officialis non potest totum pretium quod statutum pro emendo officio solvere, & sic assumit alium qui solvat reliquum, & propterea percipiat partem fructuum officii. Vel certè officiali reddit socius partem pretii quod ille dedit pro officio. Paulus IV. prohibuit, ne hæ societates celebrari possint supra alia officia quàm Ro-

manæ

manæ Curiæ. Alius est contractus talis. Petrus dat Paulo nullum officium habenti centum cum pacto, ut si intra semestre moriatur Petrus, illa centum sibi Paulus lucretur. Si verò supervixerit teneatur Petro reddere cum aliquo lucro, & de hoc est dubium an non sit usurarius? Et plurimi sunt qui docent esse licitum, & videtur à sortibus non differre.

De collatione pecuniarum subeundo periculum vitæ quæritur. An licitus sit talis census vitalis vel personalis? Resp. Si quis altero petente sic daret, posset aliquid accipere, nam illud periculum vitæ pretio æstimari potest; sed tamen non esset permittendus talis contractus, & videtur vetitus in Bulla Pii V. de censibus, in qua non permittit constitui censum nisi supra rem immobilem & fructiferam. Indirectè quoque videtur vetari in Bulla Pauli IV. & Pii IV, cùm vetant fieri Societatem nisi supra illa Curiæ officia, & præterea non ultra quàm valeant officia.

Societas libera quæ in Italia dicitur agode-

re agodere. Erit licita si sit utrinq; æqualitas. Sed advertendum est, quòd cùm unus dat pecunias, alter rem, v. g. Domum, oportet duo observare ut contractus sit licitus. Alterum, ut sicut pecuniæ alteri peribant, si pereant medio tempore, ita isti pereant res, puta Domus. Alterum ut detur plus quàm valet res, quia gravius & difficilius est ponere pecunias cùm repetuntur, præsertim si sit magna summa, quàm restituere rem ipsam. Nam hic rem actu apud se semper habet, non ita ille semper habebit pecunias.

§. 29.

De Assecuratione hoc est, susceptione periculi rei.

Assecuratio est susceptio in se periculi mortis vel vitæ, vel alterius rei accepto ob id pretio, ita ut si res pereat, eam restituere, aut pretium ejus integrum teneatur. Dicitur *Assecuratio* quamvis non sit dictio Latina, quasi securam rem facio.

Vel

Vel quòd securum reddit Dominum rei. Est autem pro diversitate rerum multiplex. Mercium, Nautica, vel terrestris, tum sortis tum lucri futuri, vitæ alicujus, famæ, pœnæ, officii, beneficii, electionis, rerum denique quarumcunq; aliarum quæ Fortunæ temeritati sunt expositæ & alicui subsunt periculo. Est porrò *licita*, quia illa susceptio periculi pretio valet, & exponere se periculo tam multa solvendi, pretio est dignum.

§ 30.

De Sortibus.

Sortes dicuntur, cùm fit ab homine aliquid seriò, ut ejus eventu considerato aliquid occultum innotescat, vel aliquid fiat, aut non fiat. Ut ait S. Th. 2. 2. q. 31. a. 2. *sunt triplicis generis.* I. Divinatoriæ, cùm earum indicio quæritur quid sit futurum. 2. Divisoriæ, cùm quæritur quid cui sit tribuendum. 3. Consultoriæ cùm quæritur, quid sit agendum.

Quæres. Suntne omnes sortes licitæ?

Resp.

Resp. Dist. Vel speratur earum sortium effectus à cœlo ex syderibus, vel à casu & fortuna, vel à spiritu aliquo dirigente. Si à cœlo, tunc vana & falsa opinio illicita & superstitiosa, cùm actus liberi à voluntate non à cœlo pendeant, nec sciri talis dependentia aut efficientia possit. Si ex casu vel fortuna, ut in divisione contingit ad evitandam controversiam, vel gratiâ ludi, aut ob similem causam, nihil habet vitii nisi aliquid fortè vanitatis, cùm possit per prudentiam scientiamvè facilè decidi ex propria electione, & tamen utuntur sortibus. Si verò spectatur effectus per sortes à spiritu & causa spirituali distingvendum est. Si à Dæmone sunt sortes illicitæ. Si à Deo qui temperat sortes, per se hæ sortes non sunt malæ, sed observari debent quatuor circumstantiæ ut sint licitæ, aliàs esset peccatum. 1. Ut absque necessitate non recurratur ad sortes, alioqui esset Deum tentare. 2. Ut fiat cum debita reverentia, invocatione Dei præmissâ. 3. Ut ad res graves non viles adhibean-

beantur, nec indecentes. 4. Ne ad electiones Ecclesiasticas, quæ à Spiritûs S. inspiratione debent ab Ecclesiæ Prælatis fieri, nisi cùm inter aliquos discernere difficile est quis eorum dignior, quod factum est in electione S. Matthiæ. Nam tunc inter illos sorte discernere non esset illicitum. Licebit etiam in dignitatibus sæcularibus & officiis eligere per sortes.

Sed nota, quòd quamvis consultoriis & divisoriis sortibus rerum externarum, officiorum, electionum &c. frequentiùs uti contingat; divinatoriis verò non ita, nec nisi magnâ urgente necessitate, & cæteris positis circumstantiis & observatis conditionibus suprapositis.

§ 31.
De Ludo.

Ludus est operatio in qua non aliud quæritur quàm delectatio animalis, Id est ex discursu proveniens. Per quod differt à delectatione naturali quæ est sine discur-

discursu, ut cibi, potûs. *Ludi prohibiti à Jure* sunt. Alea, taxilli cum aleis, tornea-menta, theatrales impudicitiæ, &c.

Quæres 1. *Licetne ludere*? Resp. Licet, si moderatè & suo tempore fiat, & ludi genus non sit prohibitum. Nam si propter ludum objicias te periculo amittendi bona, quibus familiam alere aut debita solvere deberes, aut missam die festo non audias, peccas mortaliter. Quodsi non violatur præceptum obligans sub mortali sed tamen omittitur aliqua circumstantia, erit veniale.

2. *An obliget ad restitutionem*? Resp. His casibus tenebitur restituere. 1. Si ludat cum eo qui non potuit rem alienare, ut cum filiofamilias, & magnam summam pecuniæ lucretur, etiam peccat mortaliter. 2. Si dolo sit usus contra leges ludi, vel ab initio finxit se nescire. 3. Si alter ob rem amissam in necessitatem arctam, vel extremam incidat. 4. Si nimia sit quantitas habitâ proportione ad eam quam amisit. 5. Si lege

Furtum latè acceptum est ablatio vel retentio rei alienæ invito Domino. Differt à rapina, quòd furtum fit clam & inscio Domino. *Rapina* verò violentè & conscio Domino.

Quintuplex est furtum. Furtum strictè, Rapina, Sacrilegium, Peculatus, Plagium. Aut enim homines subripiuntur, & est *Plagium*: aut res aliæ externæ, & hæ quidem vel sacræ, in loco sacro, & est *Sacrilegium*. Vel res non sacra, in loco non sacro & tunc aut res communis, & est *Peculatus*, aut res privata, & est *Furtum*. Quod si cum violentia aufertur, est rapina.

De aliis peccatis contra justitiam.

Contra justitiam etiam sunt, dolus, fraus, falsum testimonium, murmuratio, contumelia. Item homicidium, duellum, bellum, huc spectarent, sed ista aliò reservamus.

De Contractu circa rem sacram.

Contractus est circa spiritualia Simonia, est enim emptio & venditio.

§. I.

§. 1.

De Materia Simoniæ.

Sicut in aliis casibus ita in Simonia inveniuntur tria. 1. Res quæ dantur vel accipiuntur temporales & spirituales. 2. Actiones quibus illæ res dantur vel accipiuntur. 3. Personæ quæ hanc actionem exercent, dant vel accipiunt, ut principales ministri.

Res igitur quæ dantur & accipiuntur esse possunt, aut corporales utrinq;, & in his non committitur Simonia. Aut Spirituales, & hæ quidem aut naturales, ut scientiæ acquisitæ & virtutes, & earum actus & opera, in quibus propriè non cernitur Simonia. Aut Spirituales, & hæ quidem: Vel sunt spirituales, vel à Spiritu S. profectæ ad quas obtinendas naturales vires non sufficiunt, & in istis solùm cernitur Simonia. Res Spirituales supernaturales sunt, vel Spirituales, vel Spiritualibus annexæ. Simpliciter spirituales sunt duplices. Vel sunt spirituales

per-

per essentiam, ut Gratia, Potestas clavium, Prophetia. Vel spirituales per causam, ut quæ sunt causa illarum rerum per essentiam spiritualium, ut sunt Sacramenta, sacrificium, & aliqua sacramentalia. Vel spirituales per effectus qui fiunt & nascuntur ex illis spiritualibus per essentiam, ut sunt actiones & operationes etiam externæ ab istis profectæ, ut edere miracula, prophetare, baptisare, absolvere &c. atq; in omnibus his potest esse Simonia: in illis quidem spiritualibus per se primò, in annexis autem secundariò.

Annexa verò spiritualibus sunt in duplici differentia. Aut enim ordinata sunt seu antecedentia ad spiritualia, ut Juspatronatus ad præsentandum Clericos pro Beneficio, & omnia vasa, & vestes sacræ ad sacrificium peragendum. Aut sunt consequentia, seu dependent ex spiritualibus, quia videlicet non possunt haberi nisi ab eo qui habet potestatem spiritualem: ut sunt beneficia Ecclesiastica, jus ad ministerium sui Ordinis, jus ad decimas,

&

& oblationes, quæ ipsis Clericis debentur. Pensiones quæ sunt beneficiorum portiores, & in omnibus istis potest committi Simonia.

§. 2.

Quid sit Simonia & de ejus speciebus.

Simonia est Studiosa voluntas (id est libera deliberata ut Less. explicat) emendi vel vendendi aliquid sacrum vel spirituale. Vel. Est emptio aut venditio rei spiritualis pro pecunia: vel re æstimabili pecuniâ. Nomine Emptionis vel venditionis intelligendus est omnis contractus non gratuitus, ut locatio, transactio, renunciatio, permutatio, sive pecunia detur, sive aliquid pecuniâ æstimabile. Item sive fiat vocibus, mente solâ, voluntate, opere quocunq; dummodò contingant tales contractus non gratuitò. Vnde variæ sunt species Simoniæ.

Triplex est Simonia Mentalis, Conventionalis, Realis, *Mentalis* quæ solâ mente com-

committitur. *Conventionalis* quæ voce & pactis. *Realis* quæ ad opus procedit.

Mentalis est duplex. aut *purè* mentalis in sola mente consistens. Aut *non purè* mentalis, quæ progressa ad op9 mentem suam non aperiendo; utraq; autem mutua esse potest, cùm utrinq; committitur, & non mutua, cùm ex altera tantùm parte.

Conventualis cùm voce pactum exprimitur. Est duplex. Vel *purè* conventualis quæ pacto inito nihil adhuc dedit vel accepit. vel *mixta*, cùm ex altera tantùm parte datum est vel acceptum quid spiritua-le aut temporale.

Realis est duplex vel *Materialis* tantùm, quæ committitur ex ignorantia invincibili Juris vel facti præter intentionem. Vel *Formalis* quæ committitur à sciente id esse Simoniam. Et hæc rursus duplex. Vel *semirealis* cùm ex una tantùm parte opere est adimpleta. Vel omninò est *simpliciter realis* & ex utraque parte completa est.

Patitur etiam Simonia alias differentias pro diversitate rerum quæ dantur &

acci-

accipiuntur: & juris Divini aut Humani quod violatur. Unde Simonia ex diversitate Juris quo vetatur est duplex. Altera Jure Divino vetita, altera Jure humano. Ex diversitate verò rei spiritualis quæ datur pro corporali est triplex. *A manu*, *à lingva*, *ab obsequio*. *A manu*, ut pecunia datur, & aliæ res pecuniâ æstimabiles. *A lingva*, cùm quis ut beneficium consequatur, alterum laudat vel commendat. *Ab obsequio*, cùm quis alteri servit ob beneficium consequendum vel jam obtentum. Hæc autem ut sint Simonia, debent esse ex pacto. Nam si hæc dantur ex gratitudine, aut ad benevolentiam consequendam ejus à quo beneficium sperat si dignus judicabitur, non est Simonia. Sed vitandum est scandalum ne fortè habeant speciem Simoniæ, & ne nos ipsos decipiamus.

§. 3.

Gradus ad perfectam Simoniam.

Actiones quibus Simonia committitur, sunt

sunt internæ, vel externæ, & per gradus decem insigniores perveniunt ad perfectam Simoniam.

1. Est desiderium, seu voluntas dandi aut accipiendi aliquid pro re spirituali. 2. Spes accipiendi vel dandi. 3. Intentio talis & insinuatio voluntatis seu mentis talis alteri facta voce, vel signis externis, primò quidem insinuat quasi gratitudinē, deinde, ut accipiat aliquid ex obligatione. 4. Colloquium sive tractatus de re, nondum consensu per vocem expresso. 5. Tractatus cum altero jam expresso consensu sed citra promissionem. 6. Promissio, vel obligatio tacita & in virtute, hoc est, facta verbis & signis quæ inducunt pactum in virtute. 7. Promissio & obligatio non mutua, vel mutua. Sed tamen v. g. remittens ad Pontificem, sed sub conditione. 8. Promissio & obligatio absolutè facta sine conditione approbationis Pontificis. 9. Executio exterior, & fit tribus modis. Vel dando tantùm, vel accipiendo tantùm, vel simul utrumq;

§. 4.
De Simoniæ pœnis, Absolutione, Restitutione.

Pœna Simoniacorum est multiplex. 1. Est suspensus ab exercitio Ordinum, & administratione beneficiorum. 2. Est deponendus, & infamis censendus si convincatur in judicio. 3. Sunt irritæ omnes institutiones, collationes, postulationes, promissiones, conservationes in Ecclesia beneficiorum, dignitatum, officiorum cujusvis generis. 4. Ex Bulla Pii V. fit incapax non solùm adepti beneficii, sed inhabilis ad alia, & quæ habet amittit. 5. Incurrunt Papalem excommunicationem. 6. Debent restituere beneficia & fructus. Et si ordinetur Simoniacè fit irregularis.

Absolutio à Simonia summo Pontifici reservatur.

Restitutio facienda est Ecclesiæ si egeat, idque illi cui facta injuria: vel pauperibus, aut Monasteriis, aut hospitalibus.

Non eſt autem facienda ei qui dedit pecunias, niſi ille ipſe eſſet pauper, aut ingredi vellet Religionem ut unà cum ipſo ingrediatur pecunia. Beneficia verò Epiſcopo aut Papæ reſignanda.

Mentalis Simonia, vel Conventionalis non habent cenſuras, nec obligant ad reſtitutionem.

Simoniacè exercendo ordines peccat ſicut cæteri Simoniaci, non tamen ſubjicitur cenſuræ & pœnis Eccleſiaſticis ſicut cæteri Simoniaci. Simoniacus in beneficio ſi non eſt Simonia Realis non eſt ſuſpenſus aut irregularis. In penſione verò non eſt excommunicatus ipſo jure, nec plusquam Simoniacus in Jure Patronatûs.

§ 5.

Regulæ ad dijudicandam Simoniam.

Regula 1. Poſito quovis Simoniæ caſu quatuor videnda. 1 Res quæ utrinq; datur & accipitur, an appareat æſtimabilis

pecuniâ ex una parte, & ſpiritualis ex altera. 2. Actiones quæ interveniunt, an in iis appareat pactum necne. 3. Quæ perſonæ interveniunt, ſintne principales, an interpretes ad Simoniam, ſive participantes. 4. Quo jure ſit prohibita, Divino an humano. Quoties igitur apparet rem ſpiritualem, vel ſpirituali annexam ab uno dari, ab altero verò temporalem, idque ex pacto, & non apparet legitima alia cauſa cur illud temporale detur vel recipiatur, cenſenda eſt eſſe Simonia.

2. Res omnis ſpiritualis per eſſentiam vel per cauſam, nunquam poteſt vendi absque peccato Simoniæ, nec res ſpirituali annexa in qua plus eſt ſpiritualis quàm temporalis, ut baptizatio, ordinatio, beneficium, ſed ſolùm annexa in qua plus eſt temporalis quàm ſpiritualis vendi poteſt, ut vaſa ſacra, & veſtes dummodo propter ſpirituale nihil amplius detur. De Sacramentalibus idem dicendum, ut de aqua luſtrali, Agno Dei, Oleo

ſacro-

ſacro. Sed Nota hoc jure poſitivo conſtitutum eſſe non per ſe & ex ſe circa omnia quæ habent aliquid temporalis quamvis minimè vendi posſint ex ea parte.

3. Nullus poteſt vendere actionem ſuam quæ ei convenit ratione alicujus rei ſpiritualis quæ in ipſo eſt, ſive id officium ſit, ſive poteſtas ſpiritualis, ut Ordinis, Jurisdictionis, &c. Nec etiam labor hujuſmodi actionis vel induſtria, aut periculum in eo peragendo, ut pro exorciſmo, prædicatione Evangelii, Chriſto monente, *Quæ gratis accepiſtis, gratis date.* Verùm pro labore acceſſorio ut pro miſſa dicenda in diſtanti loco, vel pro obligatione, licet aliquid accipere mercedis loco, quòd labor ille & obligatio ſit pecuniâ æſtimabilis, quod ſervit etiam conſvetudini laudabili in dandis eleemoſynis ad ſuſtentandos miniſtros Eccleſiæ, ut qui altari ſervit de altari vivat.

§. 6.

De Simonia mentali.

Simoniacus purè mentalis qui nihil dedit

vel accepit, ad nullam tenetur restitutionem. Si verò accepit spirituale quidem ut beneficium, non tenetur restituere; quia nullo jure cogitur, nonnunquam etiam nullo modo potest, ut Ordinis characterem. Temporale verò, ut pecunias & alias res pretio æstimabiles, dubium est an teneatur; sed probabilior opinio & certior est, non teneri.

Petes. *Cur usura mentalis cùm verbis nō explicatur obligat ad restitutionem, Simonia mentalis non obligat?* Resp. Quia in mutuo qui dat invitus dat ex vi & naturâ contractûs. Mutuum enim postulat, ut tantùm detur sors & non ultrà. In Simonia verò est emptio & venditio, & ideò ex natura contractûs nulla pars dat vel accipit invita, quia tam qui dat rem quàm qui pecuniam debet esse contentus. Præterea quia Ecclesia noluit mentalem Simoniam ad restitutionem obligare, ne implicarentur Ecclesiasticorum conscientiæ, cùm frequentissimè contingant mentales Simoniæ. Atq; adeò quamvis tenerentur restituere,

ſtituere, voluit eos liberare à reſtitutione ob hanc cauſam, & potuit liberare, quia reſtitutio eſſet facienda in opera pia quorum diſpoſitor eſt ſummus Pontifex. At in uſura, nec liberavit, nec potuit, quia reſtitutio debet fieri certæ perſonæ, jure naturæ & ex juſtitia.

In confidentiis autem beneficiorum etiamſi ſolâ mente ſit commiſſa confidẽtia ex parte conferentis vel reſignantis habet cenſuram, & pœnas ipſo facto, atque etiam eſt obligatio ad reſtitutionem juxta Bullam Pii IV.

§. 7.

De Simonia Conventionali ſeu quæ conſiſtit in ſola promisſione.

Idem hîc omninò dicendum quod de mentali, præterquam quòd in foro externo fortè cogeretur Simoniacus ad reſtitutionem, & beneficio ſpoliaretur, at in foro interiore quisque pretium acceptum tenetur reſtituere in pios uſus, licet non beneficium, aut rem ſpiritualem ac-

ceptam juxta probabiliorem opinionem, cujus causa est. Quia in omni venditione qui vendit rem, si accipit pretium & non dat rem, non potest pretium retinere. Atque ideò in Simonia hoc pretium accipiens debet restituere, quia is qui dedit, propter vitium Simoniæ jus amisit ejus & pauperibus restitui debet. At beneficium, vel res spiritualis vendita, si solùm haberetur ex vi venditionis eadem esset ratio de pretio, sed non habetur ex vi venditionis tantùm, sed ex vi collationis, collatio itaque tenet, sed non venditio, pretium verò datur ex vi venditionis.

§ 8.

De Simonia reali utrinq; perfecta, & materiali.

1. *Regula.* Cùm Simonia realis est utrinque perfectè consummata & completa, hoc est, cùm præcessit pactum, & promissio seu obligatio expressa vel in virtute, tum incurrit censuras & obligationem restituendi, cùm res spiritualis & pretium datum est.

2. Ad

2. Ad pactum expressum, vel in virtute, non satis est, spes, vel desiderium, vel intentio prava utriusque partis, etiamsi factum sequatur, sed neque insinuatio sola talis voluntatis aliquibus verbis sive signis, imò nec satis est tractatus pluribus inter se verbis ea de re sine mutuo consensu, imò etsi adsit mutuus consensus, nisi adsit promissio & obligatio, non facit pactum, sed expressa promissio expressis verbis facit pactum expressum. In virtute verò, hoc est, sufficientibus signis quæ consensum & mutuam indicent obligationem, seu promissionẽ, facit pactum in virtute. Item etsi adsit pactum & promissio tamen sub conditione mittendi ad summum Pontificem si ipse approbaverit, non erit Simonia realis, nec dictis pœnis obnoxia, nisi ipsam priusquam à Pontifice responsum acceperint, utrinque prius consummaverint.

Materialis quæ procedit ex ignorantia invincibili excusat à censura & pœnis Simoniacorum in foro saltem interiori, sed

contractus in se semper erit irritus, & restitutio perceptorum semper facienda nisi sint bonâ fide consumpta, nec ex ipsis factus ditior. Sive autem committitur per se, sive per alterum, ipso sciente, vel invito, sive ignorante, perinde est.

§. 9.

De Simonia Juris positivi.

Non parva est difficultas per singulas materias & res spirituales, & eis adnexas, cognoscere quæ sit Simonia Juris positivi, vel quæ non positivi, sed naturalis, vel Divini. *Naturæ* quidem facilè cognoscitur cùm res spiritualis per se venditur, vel quævis alia pluris venditur ratione adnexæ spiritualis, quàm aliàs per se valet.

Juris positivi Divini ex illo Salvatoris dicto cognoscuntur. *Quæ gratis accepistis, gratis date.* *Juris* verò positivi *Ecclesiastici* sunt illa adnexa quæ aliàs vendi possent secundùm suam naturam, nisi obstitisset

præce-

præceptum Ecclesiæ. Ut est jus ad reditus beneficiorum, jus ad decimas, jus ad oblationes, vel distributiones, ad funera, ad sepulturam, Juspatronatûs, item materia Sacramenti, solemnitates eorundem Sacramentorum, & officiorum Divinorum. Item multa pacta in beneficiis, Et multi actus in beneficiis, confidentiis, pensionibus, & earum compositione vel redemptione. In quibus omnibus, & aliis plerisq; consulendi sunt SS. Canones, & Bullæ Pontificum.

In beneficiis duntaxat & ordine, quodcunque pactum interveniat sub quacunque obligatione, censebitur Simonia, res Divino Jure, vel saltem humano Ecclesiastico prohibita. Hæc sola Simonia in beneficiis & ordine habet censuras, aliæ non ita, sicut supra dixi.

§. 10.

Casus particulares Simoniæ.

Ad hoc *ut aliquid sit Simonia*, ut ex definitione suprà posita patet, requiritur

1. Ut datâ re spirituali ex una parte, detur ex alia aliquid pecuniâ æstimabile. 2. Ut detur ex pacto. 3. Ut ob rem ipsam spiritualem, vel spirituali annexam detur. Quamobrem omnis Simoniæ casus in aliquem horum incidat necesse est. Primò igitur agendum de Casibus in quibus pro spirituali accipitur aliquid æstimabile pecuniâ. 2. In quibus accipitur aliquid æstimabile pecuniâ sed non ex pacto. 3. In quibus accipitur æstimabile & ex pacto, sed non ob rem spiritualem, verùm alia de causa. 4. De illis, in quibus & æstimabile pecuniâ, & ex pacto, & ob rem spiritualem vel adnexam.

Quæres 1. *Licetne intendere, accipere, promittere, vel petere ab aliquo ob rem spiritualem aliquid non æstimabile pretio* ut, amicitiam, benevolentiam, certitudinem, condonationem injuriæ, consilii, doctrinæ, laudem, delectationem, officium, virtutis actum, spiritualem aliam rem naturalem vel supernaturalem. Resp. Quod ut in Usura dictum est applica Simoniæ, dein-

deinde in omnibus illis rebus quæ non æstimantur pecuniâ, ut ibi diximus. Hæc enim omnia si verè non sunt æstimabilia pecuniâ, non faciunt Simoniam.

2. *Licetne pro re spirituali accipere aliquid æstimabile pecuniâ, sed non ex pacto verùm liberè datum, sed ob aliam aliquam rem quæ simul est cum spirituali.* Resp. Si absit periculum scandali, licet: sin secùs, non licet, quia speciem habet Simoniæ licet non sit.

3. *Licetne aliquid accipere ex pacto cùm datur res spiritualis.* Resp. Licet, non quidem ob rem spiritualem, sed ob alias causas pretio æstimabiles, ut ob eleemosynam si debita sit antè, vel ob sustentationem ministrorum Ecclesiæ, ob stipendium ipsi officio debitum, ob rem materialem quæ videtur, ut calix, ob permutationem pignorum beneficii, cùm partes litigantes conveniunt; ob redemptionem vexationis, compensationem. Ob alia incommoda & causas, v.g. laborem, periculum, industriam, obligationem

tionem, negotia, expensas, damna, lucrum cessans, vel similes alias, quæ in gratiam alicujus fiunt, quæ non sunt annexa tali rei spirituali sed tantùm simul concurrunt aliquando extrinsecè. In omnibus his licet non intuitu rei spiritualis, sed ob alias causas pretio æstimabiles. Est tamen semper cavendum scandalum & species Simoniæ.

Si pro his spiritualibus accipitur aliquid æstimabile pecuniâ & ex pacto, ut est beatitudo, gratia sanctificans, gratiæ gratis datæ, remissio peccatorum, Prophetia, revelationes, dona Spiritûs S. potestas miraculorum, gratia sanitatum, claves ordinis, & Jurisdictionis, Hierarchia dignitatum Ecclesiæ, Virtutes infusæ, omnes denique spirituales mentis nostræ actiones, à Spiritu S. profectæ, vera est Simonia.

4. *Committiturne Simonia in sacramentalibus*? Resp. Omninò committi si quid æstimabile pecuniâ pro eis detur, ut pro Chrismate, oleo benedicto, aquâ lustrali, globulis

bulis ut benedictis, Agnis Dei, candelis benedictis, altari & cæmeterio sacro, exorcismo, benedictione Episcopali.

5. *Quid de Ecclesiasticis functionibus ac muneribus, semperne admittitur Simonia, si pro his aliquid æstimabile pecuniâ aut detur aut accipiatur?* Resp. Si tanquam pretium detur aut accipiatur, semper Simonia est, ut pro ordinando alios, confirmando & alia Episcopalia munia exercendo, baptizando, benedicendo, consecrando, ministrando in sacro; celebratione Divinorum officiorum, recitatione horarum Canonicarum, pro cæteris muneribus, & officiis Ordinum majorum vel minorum, ut talium. Rursus ob judicandas causas Ecclesiasticas vel Religionis seu Fidei. Ob dandum consilium ex officio, ob excommunicandum, suspendendum, interdicendum, ob absolvendum à Censuris Ecclesiasticis, ob concedendas indulgentias, ob dispensationem in voto, juramento, legibus, ob faciendum vel abrogandum leges

leges Ecclesiasticas, ob concionandum. Denique ob officia Eclesiasticorum, ut sunt officia ac munia Abbatum, Archidiaconorum, cæterarumque Personarum Ecclesiasticarum. Denique ob externas omnes actiones quæ antecedunt actiones ex virtutibus infusis ac donis Spiritûs S. profectis, ut ob orationem publicam vel privatam, ob concionandum.

6. *Quid in annexis spiritualibus quæ ea antecedunt, vel ad ea referuntur, admittiturnè Simonia si detur pro eis aliquid pecuniâ æstimabile?* Ut jus personatûs ad præsentandum Clericos ad beneficia, jus ad acquirendum aliqua spiritualia, vel habenda. Et omnia quæ ad Sacramenta vel officia Divina, vel alia spiritualia ministranda ordinantur, ut illa in quibus, aut per quæ ministrantur spiritualia, ut sunt res omnes sacræ Ecclesiæ, vestes & vasa sacra. Locus sacer, altare, templum, cæmeterium, sepultura, campana, fons baptismi, tabernaculum, & aliæ

res

res sacræ, quæ non efficiunt effectum per se, sed solùm sunt ad ministrationem designatæ? Resp. Admitti, si tanquam pretium detur.

7. *In annexis spiritualibus quæ consequuntur, aut dependent ex spiritualibus*, videlicet non possunt haberi nisi ab eo qui habet spirituale, ut sunt beneficia Ecclesiastica, & Personatus qui non possunt dari nisi Clerico. Alia officia, & dignitates Ecclesiasticæ, jus percipiendi decimas, primitias, oblationes, jus sepulturæ, jus primogenituræ, jus ad omnium ordinum ministeria & actus illos, quos diximus, peragendum. Vel res quæ non conveniunt nisi ratione Jurisdictionis Ecclesiasticæ; deniq; jus consequens ad spiritualia quæ quicunque habet. Quæritur an in his admittatur Simonia? R. esp. Admitti si tanquam pretium detur.

In variis actionibus circa res quascunque spirituales potest committi Simonia, si pro illis actionibus detur aliquid æstimabile pecuniâ, ut pro institutione, effe-

ctione,

ctione, procuratione, auxiliis, ad id acquisitione, collatione, confirmatione, susceptione, defensione, conservatione, possessione, usu, destructione rei spiritualis, denegatione, impeditione, spoliatione, vel è cōtrà, diminutione, actatione, commutatione seu permutatione, alienatione, divisione. Denique pro aliqua actione spirituali erga rem spiritualem, & pro potestate, seu jure sic agendi & exercēdi talem actionem spiritualem, vel erga rem spiritualem.

In beneficiis etiam quæ habent actus Ordinis vel Jurisdictionis, in eorum nominatione, prosecutione, collatione, confirmatione, procuratione, petitione, redemptione vexationis cùm non sit jus quæsitum, susceptione tituli vel possessione, resignatione, impositione pensionis & ejus exactione, permutatione, confidentiis, pro bullis, & bullarum impetratione, pro bullarum expensis cùm ad eum expendere non spectabat.

8. *Licetne aliquid dare vel accipere tanquam*

quam pretium pro actu vel usu scientiæ Divinæ vel infusæ, ex officio, vel in officio facto, concionandi, interpretandi sacras literas, docendi Theologiam? Resp. Si hæc fiant ad instructionem populi in fide & Religione, præsertim ex officio, Simonia est. Si autem ad Scientiam acquisitam comparandam, non item. Quod idem dicendum de aliarum scientiarum & artium doctrina.

§. II.
De Participantibus in Simonia.

Personæ quæ interveniunt, vel intervenire possunt, sunt sequentes. Dans, vel accipiens per se vel per alium, ut consangvineum vel ministrum, ipso sciente, vel nesciente, consentiente vel invito. Consiliarius, notarius, sive scribens bullas, testes, procurator, ministri alii proximi ipsi facto, alii remotiores. Intercessores, Proxenetæ, consentientes, alii præterea vel participantes in pretio dato, vel in re spirituali, vel in actionibus circa hæc inter venientibus.

Varia

Varia Quæsita de Simonia.

Estne Simonia servire Prælato cum pacto expresso vel tacito ut sibi beneficium conferat? Resp. Esse. S. Th. 2. 2. q. 100. art. 5. Cajet. Non esset verò, si ideò serviret, ut Prælatus cognosceret ejus scientiam, prudentiam &c. Et ita illum judicaret dignum.

Estne Simonia dare alicui beneficium cum pacto ut illum laudet apud Principem? Est de lingva. Less. Tol.

Quid est Annata? Resp. Est dimidia pars fructuum primi anni quæ solvitur cameræ Pontificis, quando reditus excedunt summam 24 Aureorum ducatorum secundùm communem ejusdem cameræ æstimationem.

Quid illa pecunia quæ datur pro Missa? Resp. Illam non dari pro Missa, sed ut missam celebrans habeat unde vivat, juxta illud. *Qui altari servit de altari vivat.* Ita etiam qui beneficium consequuntur in curia Romana dant certas summas in

stipen-

ſtipendiũ illorum qui conficiunt bullas, & nulla eſt Simonia. Ang. Sylv. Azor. Ita etiam in diſpenſationibus voti, juramenti, Matrimonialibus, non pro diſpenſatione ſolvitur, ſed datur eleemoſyna in quam hæc commutantur. Et poteſt hoc onus Pontifex imponere ne ſæpè talia petantur. Pari modo in pœnam contumaciæ poteſt imponere, non autem accipit pro abſolutione, cùm abſolvit ab excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto. S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 7.

Eſtne Simonia commutare propriâ authoritate beneficium pro beneficio? Eſſe impropriè, quia non datur temporale pro ſpirituali, eſt tamen Simonia juris humani. Si cum facultate ſuperioris fiat, nulla eſt Simonia. Val. Sylv. niſi interceſſerit pactum, ut qui pingvius accipit det aliquid illi in compenſationem qui accipit tenuius.

Quid liceat accipere pro teſtimonialibus Ordinum? Reſp. Vide Trid. Seſſ. 21. cap. 1. de Reform. Ubi etiam de dimiſſoriis.

De

Estne Simonia rem spiritualem locare? est, imò si quicunque alius contractus circa rem spiritualem vel illi adnexam exerceatur, si res temporalis in pretium rei spiritualis detur, erit Simonia.

Cui virtuti opponitur Simonia? Religioni, quia res sacras irreverenter tractat pretio æstimando practicè. Et si fortè non speculativè.

Estne Simonia vendere officium administratoris rerum Ecclesiasticarum, ut Judicis, Advocati, Oeconomi. Resp. Est Valentia. Less.

Estne Simonia realis si ex una tantùm parte sit completa? Resp. Est. Ita Navar. &c. Esse de fide quòd Simonia sit peccatum, docet Dami. epist. 5. Est verò crimen gravissimum.

Quid si aliquis in utilitatem Ecclesiæ vendat rem sacram? Resp. Esse Simoniam. Quia Christus dixit. *Quæ gratis accepistis*, &c. Unde non consentit Christus in hanc venditionem.

Quid si aliquis det aliquid pro electione ad aliquod

liquod beneficium? R. Ex Trid. Sess. 24. c. 14. Esse Simoniam. Imò Pius V. in Bulla. Durum nimis. Suspendit Episcopos si vel dulciaria exigant. Et subjicit interdicto Capitulum talia exigens, privatas autem excommunicat personas, & obligat ad restitutionem, si pro hoc aliquid acceperint. Imò DD. addunt, Simoniam si quid promittat pro suffragio in electione uni, sine cujus suffragio alii validè elegissēt. Et patet ex cap. Cùm super de Confessis. Est Simonia promittere alteri beneficium, si illum elegerit, & electio hoc ipso est invalida. Cap. Si alicujus. De electione. Imò si quis det pecuniam altero inscio ut alter eligatur, electio est Simoniaca. Tolet. Sylv. & alii.

Estne Simonia dare pecuniam alicui ne impediat malitiosè in consequendo beneficio? Resp. Non esse, Quia hìc solùm redimo iniquam vexationem. Esset verò Simonia si jam electus pro beneficio daret aliquid pro ejus confirmatione, ac electione. Nav. Sot. Valent. Similiter si daret ne quis

electio-

electioni ejus contradicat. S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 2.

Estne Simoniacus qui dat pecuniam ut beneficium alter resignet? Resp. Est. Azor & alii; imò si renuntiet cum hac conditione, ut alter illi significet quando aliquod aliud beneficium vacabit. Azor. Vel si renuntiet aliquos fructus beneficii sibi retinendo. Abbas Arag. Item si cùm duo litigant de beneficio, alter resignat in favorem alterius, dummodo illi de altero beneficio provideatur. Azor. Vel si resignet cum hoc pacto, ut alter refundat expensas quas ille fecit in beneficio consequendo. Non esset verò Simonia si exigeret expensas quas fecit de bonis propriis, & non de Ecclesiasticis, in reparationem illius beneficii.

An resignatio beneficii Simoniaca, sit invalida.? Resp. Declaravit esse invalidam Martinus V. in Conc. Constantiensi in Bulla. Est verò Simonia conferre beneficium Paulo ut illud resignet Petro. Vel si accepit beneficium cum pacto ut de

ejus

ejus fructibus juxta Collatoris arbitrium disponat, Nav.

Estne Simonia si quis alterum præsentet ad beneficium, cum pacto ut resignet quando ille voluerit, vel qui præsentanti promittit quòd propterea relinquet simplex beneficium ? Resp. Est. Ita Nav. Consil. 23. Sed nunquam contrahitur Simonia sine pacto expresso vel tacito.

An qui commisit Simoniam confidentialem in beneficio possit illud retinere ? Resp. Talem collationem esse invalidam declarat Bulla Pii V. & privat ipso jure illos beneficio, & sunt ipso jure excommunicati, & tenentur tales restituere fructus atq; de tali beneficio exhinc solus Papa potest disponere.

An Simonia conferre beneficium propter consangvinitatem ? Resp. Non esse Simoniam, sed peccatum grave si non conferatur digno. S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 5. Sed idem docet esse Simoniam, si conferretur eâ intentione ut inde suis consangvineis provideat, vel ut ipse collator

ex eo fiat potentior, honoratior, opulentior. Sylv.

De Virtutibus quæ ad justitiam revocantur.

Ad commutativam justitiam pertinet *Veracitas & Fides*, utraque enim debet esse in omnibus contractibus. Veracitas sive veritas in verbis, cui opponitur mendacium. Fidei in factis opponitur perfidia. Est autem triplex *mendacium*. Jocosum, officiosum, perniciosum, & quidem duo priora sunt venialia peccata, tertium verò in gravi materia est mortale. *Officiosum* dicitur quod alicui prodest, nulli nocet, tamen est peccatum, quia nunquam licet mentiri etiamsi aliorum mors vel malum quodlibet sequeretur quantumvis maximum. Veritatem tamen tacere vel occultare citra mendacium, ambiguis verbis, loco, & tempore licet, id tamen non est faciendum absque causa. In judicio verò mentiri reum, si impediatur ex eo judicii rectitudo, erit mortale;

tale: in Confessione Sacramentali, si sit leve mendacium, quanquam erit gravius aliis.

Sunt etiam aliæ virtutes quæ reddunt aliis debita, sed non ad æqualitatem, verùm ex decentia & honestatis debito. Sunt autem diversæ pro diversitate personarum & causarum ob quas illis redduntur, ut est *Pietas* erga Parentes, Patriam, & alios sangvine junctos, quibus non possumus æquale reddere huic impietas opponitur. *Observantia* erga bonos & sapientes, nam honor illis debitus, minor est quàm virtus & eorum dignitas. Sed id damus, quia majora quæ demus non habemus. Huic irreverentia contraria est. Sub observantia continetur *Obedientia* erga Potestates, & contraria Inobedientia.

Sunt etiam aliæ virtutes quæ reddunt aliis quidem ad æqualitatem, sed id quod jure non debent, ut *Amicitia* erga amicos cui opponitur Inimicitia, ex prava amicitia. Sub amicitia *benevolentia* conti-

tinetur, cui contraria est malevolentia, & invidia. *Concordia*, cui discordia opposita, & *benignitas* cui contraria malignitas, atq; hæ sub amicitia. Sed præterea huc spectat *beneficentia* cui opponitur maleficentia. *Misericordia* erga miseros & indigentes cui adversatur immisericordia. *Clementia* contra delinquentes, cui opponitur crudelitas: *gratitudo* erga benefactores, cui adversa est ingratitudo. *Affabilitas* in voce, & *comitas* in opere erga illos quibus cum versamur, illis opponitur *austeritas*. *Urbanitas* in leporibus, cui opponitur rusticitas. Denique si quæ sunt aliæ hujusmodi erga alios virtutes, quæ vel inæquale reddunt, vel si æquale tamen non jure debitum, sed ex honestate tantùm, & decentia, aut omninò indebitum & liberum.

De Justitia distributiva seu Beneficiis.

Cùm egerimus de hac virtute superiùs, solùm hic paucula addemus de Beneficiis Ecclesiasticis quæ etiam aliquomodo hujus

hujus materiæ sunt virtutes. Debent conferri idoneis & dignis. Idoneus est ille qui bene illud obire potest. V.g. Pro Parochia qui vitæ est exemplaris. Servat Dei & propria Clericorum præcepta, non rixosus, non ebriosus, non avarus, non impudicus, nullis Ecclesiæ censuris irretitus, famæ bonæ. Præterea habet promptitudinem & doctrinam sufficientem ad pascendum Verbo Dei gregem, ad confessiones excipiendas, ad visitandos infirmos, consilia in casibus obviis danda, expeditur ad catechisandum & opera charitatis tum corporalia quàm spiritualia; zelum habet circa animas, decorem domûs Dei amat &c. Idem ipse dignus censebitur. Patet ex Trid. Sess. 24. cap. 18. de Reform.

Duo beneficia etiam simplicia, quorum utrumque est sufficiens, nisi ob necessitatem & utilitatem Ecclesiæ, hoc est, magis proficuum erit Ecclesiæ si hic unus duo ista tenuerit quàm si alii duo, meliùs ab uno administrabuntur &c. Item ut teneat duo debet esse causa, debet haberi dispen-

ſatio: vel cauſa ſufficiens cum conſuetu-dine approbata ab iis qui diſpenſare poſ-ſunt, dummodo beneficia non requirant reſidentiam. Nam ſi hanc requirant, vel ſaltem unum, etiamſi ſint inſufficientia, non poſſunt haberi ſine cauſa & juſta di-ſpenſatione. Reſidentiam requirunt ex Trid. Omnes Patriarchæ, Primates, Me-tropolitani, Archiepiſc. Epiſcopi. Item ob-tinentes dignitatem Canonicatûs, præ-bendas in Cathedrali, vel collegiata Eccle-ſia. Item habentes curam animarum. Ob-tinentes beneficia per conſuetudinem requirentia reſidentiam. Sic Trident. Seſſ. ult. de Reform. cap. 5. & Seſſ. 24. de Ref. cap. 17. Et idem Seſſ. 6. de Reform. cap. 2. aufert omnia privilegia & indulta perpetua non reſidendi, ut nec Epiſcopi in reſidentia perpetua diſpenſare poſſint. Ad tempus autem poſſunt ex cauſa legiti-ma cum onere ſubſtituendi idoneum Vi-carium in Curatis.

Qui non reſident in Cathedrali vel Ma-tre Eccleſia, de his Trid. Seſſ. 6. de Ref.

cap. 1.

c. 1. quid ſtatuat videri poteſt, item ſeſſ. 25. cap. 1. & Bulla Pii IV.

Pluralitas beneficiorum Curatorum & reſidentiam requirentium, eſt juri naturæ adverſa, quia nemo poteſt eſſe in duobus locis ſimul, eſt adverſa præcepto Divino: Trid. Seſſ. 23. de Ref. cap. 1. & Seſſ. 7. cap. 2. 4. & Seſſ. 24. cap. 17. Pluralitas quorumcunque beneficiorum ſimplicium eſt jure communi poſitivo prohibita. Patet ex d. 30. cap. Epiſcopi d. 7. c. Sanctorum 21. q. 10. de præbendis. Nam licet aliqui Canones loquantur ſolùm de Curatis, loquuntur tamen alii & de Capellis, de Capellanis, altaribus, quos vide apud ledesmam. Quia oritur ex hoc defraudatio cultûs Divini, & merces laboris ſine labore percipitur.

Trid. Seſſ. 24. c. 17. Non vult diſpenſari ut duo habeantur etiam inſufficientia, multò minùs ſufficientia. Jubet enim ſi curatum eſt inſufficiens, aliquod ſimplex illi adjungi. Neque in reſidentia diſpenſari poteſt niſi ex cauſis à Trident. relatis Seſſ. 23. de Reform. c. 1. Suffi-

ciens beneficium est & dicitur quod habet satis ad victum & vestitum, & præterea ad decentiam status Clericalis saltem in eo loco in quo est tale beneficium, ut ibidem solent Clerici decenter vivere, & quantùm satis est ad honestè & debitè exercendam jurisdictionem, & onera persolvenda tali beneficio adnexa. S. Th. 2. 2. q. 135. a. 2. Trid. Sess. 24. de Ref. c. 15.

Consvetudo sola sine causa utilitatis Ecclesiæ non est satis nec tutum reddit in conscientia tenentem duo beneficia etiam simplicia, quia talis consvetudo licet possit derogare juri positivo, at non abrogat deformitatem contra jus naturæ. Vide Canon. Jamdudum extra de Præben.

Dispensatio sola sine causa sufficiente non est satis, nec tutum reddit in conscientia, cùm sit potiùs dissipatio, quàm dispensatio. Vide Bern. de Consid. lib. 3. cap. 6. Sed de his fusiores esse non constituimus. Casus tamen quosdam apponemus.

Quæsita de Beneficiis.

An qui habent beneficia simplicia teneantur residere? R. teneri jure Canonico. Azor. Nav. Sed plures contrarium sentiunt, & declaravit Congreg. Conc. si excipiantur Canonicatus & portiones in Ecclesiis Cathedr. & Collegiatis ita Rebuff. in praxi. Sed in his videndum quæ ubi laudabilis consvetudo. De Episcopis videri potest Trid. Sess. 23. c. 1. de Reform. ubi & de Parochis, de Canonicis verò Sess. 24. cap. 12. de Reform. Ponuntur verò Sess. 23. cap. 1. Causæ quæ excusent à residentia residentibus causâ studiorum. De non Sess. 24. cap. 12.

Quæ sunt beneficia incompatibilia? Resp. Duæ Præpositūræ, Duo Decanatus, duo Archidiaconatus, duo Archipresbyteratus. Patet ex cap. Sicut de except. Prælat. Item duo curata, patet ex Trid. Duæ Abbatiæ. Item duo simplicia quæ residentiam requirunt. Abbas in cap. extirpandæ. Duo simplicicia insufficientia permittit Trid. Sess. 24. cap. 17. de Reform.

Damnat verò peccati mortalis Azor & alii, si quis teneat duo simplicia, quorum sit unum sufficiens, sine dispensatione.

Quæ incommoda sequuntur ex pluralitate beneficiorum? Resp. Legantur in Extrav. Joan. 22. Execrabilis.

Quando liceat duo habere incompatibilia? Resp. Vide Trid. Sess. 7. c. 5. de Reform. Et Sess. 24. cap. 17. de Parochiis.

Quæ beneficia debent conferri dignioribus? Resp. Omnia conferenda sunt sub peccato mortali dignis, sed curata dignioribus. Adr. Less. Nam in collatione beneficiorum magis spectanda utilitas spiritualis Ecclesiæ, quàm Ministrorum temporalis. Ad quos spectat conferre beneficia, vel ad ea præsentare, vel eligere, peccant mortaliter si omisso digniore conferant &c. minùs digno. S. Th. 2. 2. q. 63. a. 2. Et patet ex Trident. Sess. 6. cap. 1. de Reform. Qui beneficium dat indigno, tenetur damna Ecclesiæ restituere. S. Thom. ibid.

Quid est beneficium? Resp. Est jus percipiendi

cipiendi fructus ex rebus Ecclesiæ collatis, quod datur Clerico propter officium spirituale Azor. Sed requiritur ut illi reditus sint authoritate Ecclesiasticâ firmati. Beneficium est sæculare quod pro sæcularibus institutum, nec potest à Regulari teneri sine dispensatione Papæ, aliàs esset invalida collatio. Etiamsi sit curatum Paulus IV. Bulla Postquam Divina. Et ita declaravit Congreg. Cardin. Neque è contra desinunt esse Regularia quamvis conferantur sæcularibus à Papa jure administrationis vel commendæ, non tituli. Regularia verò sunt quæ pro regularibus instituta. Vide Trident. Sess. 14. de Reform. cap. 10. *Manuale* beneficium quod confertur ad tempus incertum quousque superior non revocaverit. *Curatum* est quod curam habet animarum, & ex officio Sacramenta administrare tenetur.

Si quis curatum recipiat, sine voluntate recipiendi intra annum Sacerdotium ad quid tenetur? Resp. Tenetur fructus restituere. Sed si intra annum mutavit mentem, &

recepit Sacerdotium, poteſt totius anni fructus retinere. Nav. Azor Leſſ. Sed ſi animo recipiendi Sacerdotium accepit curatum, etſi poſtea mentem mutavit, non tenetur fructus reſtituere. Tamen plures docent, quòd teneatur illos reſtituere quos accepit poſt mutatam voluntatem. Sed ſi dubitavit an ſit Sacerdotium ſuſcepturus? Reſp. Azor. Si tamen ſuſcipit, facit fructus ſuos.

Quid de ſimplici beneficio? Resp. Si non habet adnexum Sacerdotium poteſt recipi ſine animo recipiendi Sacerdotium, cum animo tamen perſeverandi in ordine Clericali. Nav. Sed ſi hunc animum non habeat, peccat mortaliter. Lesſius. Sed ſi adnexus ſit ordo ſacer beneficio ſimplici, peccat mortaliter qui illud accipit ſine animo recipiendi illum ſacrum ordinem.

An poſſit dari beneficium Clerico conjugato? Reſp. Non. Trident. Seſſ. 22. c. 4. Et ſi habens beneficium contrahat Matrimonium ſtatim amittit beneficium.

Sed

Sed si Virginem duxit, & consentiente Uxore vovit castitatem, collatio est valida. Less. ex cap. 2. de Cler. Conjug. Sed si sit juvenis uxor debet ingredi Religionem. Vetula voveat castitatem & potest manere in sæculo. Pro Episcopatu quæcunq; sit debet ingredi Religionem ita c. cit. Et cap. Sanè de Convers. Conjug. Neque potest resignare in favorem alterius, si contraxit matrimonium habens beneficium; quia jam ipso jure vacat. Et sine ulla præcedente monitione aut citatione potest conferri alii. Et hoc quidem etsi non consummaverit Matrimonium; nam est statuum incompatibilitas.

Quid si quis est inhabilis ad beneficium, & obtinet pro hâc inhabilitate dispensationem, postea ducit uxorem, eâ mortuâ, estne habilis? Resp. Esse, quia jam ablatum est impedimentum.

Possuntne reditus beneficiorum expendi in usus profanos? Resp. Id colligi ex cap. vobis. cap. Concessa & aliis. Dari hos reditus ad Clericos sustentandos. Ecclesias restau-

restaurandas, ornatum templorum, ad subveniendum pauperibus, ad Sacramenta administranda. Alen. Major Rich. Gabr. & alii gravissimi Authores docent si in profanos usus expenderit, teneri ex bonis patrimonialibus pauperibus restituere. Et olim assignata fuit pars pro sustentandis pauperibus. Ut patet ex cap. de reditibus 12. q. 2. unde ajunt saltem superflua modò debere dari pauperibus, idque ex justitia.

Quæ est decens sustentatio Clerici? Resp. Id arbitrio boni & prudentis viri definiendum. Ita S. Thom. 2. q. 185. a. 3. Alii ita statuunt. Id sufficere in sustentationem, quod alii pii & timorati ejusdem ordinis ac dignitatis expendunt. Sed Navar. q. 1. de reditibus monito 36. n. 1. Et Molina addunt esse contra rationem ut Ecclesiæ ruinam patiantur, & pauperes fame pereant, & in his casibus debere Ecclesiasticos aliquid sibi subtrahere. Ad sufficientiam non spectat, ut de illo possit sustentare Fratres, Sorores, Trid.

Sess.

Sess. 24. de Reform. cap. 13. & 15.

Possuntne Clerici dare Consangvineis? R. Possunt dare in pias causas, quando ergo est pia causa dare Consangvineis, possunt & illis dare, neque tenetur Clericus ut eroget in pia opera in eo loco ubi habet beneficium. Vide Trident. Sess. 25. c. 1. de Reform. Et ibi dicta possunt applicari ad testamenta.

Quo jure tenetur residere habens curam animarum? Resp. Divino, patet ex Trid. Sess. 23. cap. 1. de Reform. Et Turrian. opusc. de Residentia ait se reperisse Canonem Apost. ejusmodi. Pastores qui in suo ovili non manent esse alienos à Communione in Christo. Ex hoc patet quid de dispensatione in residentia dicendum sit.

Potestne duo beneficia tenere, quia in altero aura non favet? Resp. Morbus non facit licitam pluralitatem beneficiorum præsertim incompatibilium.

De Justitia vindicativa.

Etiam hîc solùm de pœnis Ecclesiasticis agemus. Pœnæ autem istæ aut sunt spirituales, quarum quædam sunt censuræ, ut excommunicatio, interdictum, suspensio. Quædam non censuræ, ut irregularitas, degradatio, depositio. Aut sunt corporales ut carcer, pœna pecuniaria, non autem sangvinis. Diximus de censuris aliquantum in priore parte. Nunc apponemus aliqua, & illa magis explicabimus.

Irregularitas non semper est propter peccatum, ideò non est censura & absolvimus à censuris, dispensamus in irregularitate.

Petes cur degradatio & depositio non vocantur censuræ cùm suspensio sit Censura?

Resp. Quia hæc non solùm privant usu potestatis & officii, sed etiam ipsâ potestate. Degradatio ipsis ordinibus quantum est ex parte Ecclesiæ, etiamsi ex se auferri non possint. Depositio autem privat ipso beneficio & officio, non solùm

usu;

usu; atque adeò istæ sunt plus quàm censuræ.

§ 31.

De Excommunicatione.

Excommunicatio est censura Ecclesiastica separans à communione Fidelium. Unde est quasi extra communionem positio. Est *duplex* major, & minor. *A jure* latæ ipso facto incurruntur, & hæ per verba præteriti temporis solent exprimi. Item *major* est triplex, secreta, publica, & solennis, seu propriè anathema, & fit cum quâdam solennitate ut describitur in Pontificali. *Major* ergo est censura separans à communione Ecclesiæ, quoad fructus, Sacramenta, suffragia generalia, & participationem spiritualium, ac aliorum actuum in quibus Fideles communicant, seu breviùs. Est censura Ecclesiastica privans omni communione Fidelium, seu Ecclesiæ. *Minor* solùm privat participatione passivâ Sacramentorum & electione passivâ. Activè autem dans Sacramenta pec-

ta peccat, sed tenent. Hæc minor fertur pro peccato veniali.

Quæres 1. Quid si Excommunicatio sit injusta vel nulla? Resp. Dist: si sit injusta, obediendum illi propter scandalum, si continet errorem intolerabilem, hoc est, si constet ab eo latam qui potestatem non habuit, vel in non subditū, vel omnibꝰ manifestò constat sine causa latam & contra justitiam, tunc nulla est omninò & ad nihil obligat, nec est quòd timeatur. At si est injusta ex aliis causis, ut ex indebito modo eam ferendi, quia ex odio vel ira, aut nimis properè, non servatâ juris aliquâ solennitate, aut sine trina admonitione, aut non in scripto data aut similia. Vel si causa dubia, vel probata per falsos testes. In publico loco tenet & est obediendum illi. Nulla autem erit quæ non in subditum, aut à non habente potestatem, aut contra privilegia, aut propter bonum opus aut leve peccatum sine contumacia lata. Quodsi sit talis, scilicet reverà nulla in se, sed de hoc non constet populo, ad vitandum scandalum in foro exteriori

opor-

oportebit obedire, quousque populus saltem doceatur.

2. *Qui sunt effectus majoris excommunicationis?* Resp. Posuimus illos in parte priore, nunc magis explicamus & sunt præcipui. 1. Privat participatione activâ & passivâ Sacramentorum. 2. Suffragiis communibus Ecclesiæ, scilicet, participatione bonorum operum ut orationum ac Divinorum officiorum. 3. omni actu ordinis quem si excommunicatus exercet, fit irregularis. 4. A beneficiorum susceptione, ac collatione, & fructuum perceptione quamdiu est in mora petendæ absolutionis. Et si perseveret per annum integrũ possèt beneficiis privari, quod si insorduerit, scilicet annum totum in ea perseveret, ex Conc. Trid. est suspect9 hæresis. 5. Ab officiorum executione & usu Jurisdictionis. 6. Ab electione Canonica activè & passivè, quod extenditur ad dignitatem laicam, ut imperium, & regnum. 7. Ab omni actu legitimo ut procurare, instrumenta facere. 8. Ab ingressu Religionis, nisi prius absolvatur. 9. Tandem ab omnibus aliis actibus

ctibus exterioribus in quibus homines conveniunt juxta illud. *Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.* Aliis etiam pœnis afficiuntur in quibusdam Provinciis. 10. Privantur Ecclesiasticâ sepultura, & à regno cœlorum extruduntur. His pœnis afficitur omnis justè excõmunicatus quoad resipiscat, injustè verò juxta prædicta excommunicatus, solùm illis quæ afficiunt in foro exteriore.

3. *An omnis excommunicatus est vitandus sub poena excommunicationis?* Resp. Post Concil. Constantiense, denuntiati tantùm, vel publicus percussor Clerici vitandus sub pœna Excomm. minoris. Publicus autem & Notorius dicitur, cujus factum nullâ potest tergiversatione celari. Occultus autem etsi vitari non debet, tamen subest pœnis excommunicatorum, nec potest sine justa causa communicare cum aliis.

4. *Qui possunt communicare cum excommunicato?* Resp. In Divinis nemo. In aliis, vel ob suam vel ob illius utilitatem, vel quia ejus Filius, Conjux, servi. Vel quia

quia ignorat esse excommunicatum, vel quia necessitas cogit, potest communicare.

5. *Qui possunt excommunicari & qui non?* Resp. Angelus non potest, neque anima mortui, neque res inanimata, neque sensitiva, sed solus homo, isque non infidelis, nec Cathecumenus, nec universitas fidelium, nec Papa, sed solus homo baptisatus in hac vita existens. Mortuus autem declarari potest fuisse excommunicatus, non verò propriè & de novo excommunicari.

6. *Possuntne Erucæ vel aliæ bestiolæ excommunicari?* Resp. non posse propriè, sed tantùm exorcismis abigi, quod idem de dæmonibus est, & animabus mortuorum.

7. *Potestne civitas aliqua aut universitas excommunicari?* Resp. Non. Quia cùm excommunicatio feratur ob peccatum mortale, fieri non potest ut omnes simul peccaverint, aut fuerint contumaces.

8. *Quis potest excommunicare, quis non?*

Resp.

Resp. Ille solus potest qui habet jurisdictionem ordinariam, vel delegatam ex officio, vel consvetudine in alium non impeditam. Ut sunt Episcopi, Prælati majores Ecclesiæ. Simplices Sacerdotes non possunt nec etiam Parochi, nec Priores, nec Abbates, nisi esset consvetudo approbata & delegata potestas.

9. *Quomodo ferendum est judicium de excomm.?* Resp. Sin quis inciderit in excomm. intellig. poterit ex causa excommun. Quoties enim quis non peccavit, aut non mortaliter, aut si peccavit mortaliter, ignorabat excommunicationem ignorantiâ invincibili, hoc est, quia non potuit scire, aut non tenebatur scire, non incidit in excomm.

10. *Omnisne ignorantia excomm. excusat?* Resp. Non omnis, sed invincibilis tantùm quæ caret contumaciâ, propter quam fertur excommunicatio. Quæ sententia est Navar. Sylv. & aliorum, & nititur Christi authoritate Matth. 18. *Si Ecclesiam non audièrit* &c. Ignorantia autem vincibilis non excusat ab omni excomm, sed

tantùm

tantùm ab ea in qua dicitur. *Si quis præsumpserit, si quis temerariè tentaverit vel fecerit aliquid ejusmodi.* Crassa porrò & supina, vel affectata, non excusat nisi ab ea excomm. in qua dicitur. *Si quis scienter contrarium fecerit.* Illa enim ignorantia excludit scientiam.

11. *Unde cognoscitur quòd excommunicatio sit lata vel ferenda?* Resp. Si utatur verbo præteriti temporis, vel præsentis v. g. *Sit excommunicatus aut excommunicatur à nobis.* Si addatur, *ipso facto*, vel *ipso jure*, vel, *sub poena excomm. latæ sententiæ*, vel aliquid ejusmodi, censenda est excommun. lata. At si utatur verbo futuri temporis, *excommunicabitur*, *excommunicetur*, vel, sub *poena excomm.* vel aliquid tale, nondum lata est, sed comminatoria, & ferenda, nisi addatur, *ipso facto*, vel quid aliud, unde appareat quòd sit lata sententia.

12. *Quæ sunt excomm. reservatæ Papæ?* R. Dictum in parte priore. Episcopis verò, quas illis jus, vel ipsi sibi reservant. In his

est 1.

eſt. 1. Excomm. ex levi percusſione Clerici vel Monachi. 2. Excomm. Papalis in mortis articulo ſi adſit Epiſcopus, nam in ejus abſentia poteſt abſolvere quivis Sacerdos. 3. Propter participationem criminis cujus eſt abſolutio. 4. Ob reincidentiam, cùm quis ſcilicet in mortis articulo abſolutus ab excomm. , vel aliam ob cauſam, non ſe pr... periori à quo abſolvi debebat. Vel ſi Nuntius Apoſtolicus, vel Legatus Pontificis abſolvit remittens ad ſuperiorem, & non ſe præſentat.

13. *Quis poteſt abſolvere ab Excommun.?* Reſp. Si homo illam tulit, is poteſt qui tulit, vel ejus ſucceſſor, vel ſuperior. Si à jure, & Papa illam tulit, Papa poteſt abſolvere, vel cui ille commiſit. Si ab Epiſcopo, ipſe Epiſcopus, vel cui ille cõmiſit. A non reſervata Excom. idem poteſt qui à peccato poteſt, propter quod lata. In mortis articulo quivis Sacerdos abſolvere poteſt. In privata abſolutione ſatis dicere. *Ego te abſolvo ab Excomm. quam incurriſti ob*

visti ob talem vel talem causam. In solenni absolutione servanda sunt præscripta. Sed Nota 1. Si quis excomm. ab homine nominatim, si is detrimentum attulit alteri, aut fiat inobediens Prælato, non sufficit cautio juratoria, nisi sit in extrema necessitate. Quodsi est excomm. ab homine generatim, sufficit cautio juratoria si aliam dare non possit etiam extra tempus necessitatis, tempus autem necessitatis intelligitur, cùm probabiliter non habiturus postea copiam ejus à quo absolvi potest, ut si longam aut periculosam navigationem suscipiat, si adire non possit superiorem, si superior absq; legitima causa nolit absolvere. Quodsi quis facultatem habens absolvendi absolveret extra casum necessitatis, peccaret ratione scandali, sed teneret absolutio.

Nota 2. Absolutus ab Episcopo, si postea potest satisfacere & non satisfacit, recidit in excomm, quia absolvitur sub conditione ad reincidentiam: sub qua conditione privatus Sacerdos absolvere

non potest, sed si semel absolvit, non relabitur Pœnitens, quamvis non satisfecerit, & solùm ad satisfactionem tenetur ex rei natura.

§ 2.

De Suspensione.

Suspensio est Censura Ecclesiastica inhabilitans ad executioné ordinum, officiorum, vel Jurisdictionis ex aliquo impedimento proveniens. Incurritur autem ob peccatum etiam veniale.

Quæres 1. *Quis potest suspendere?* Resp. Qui potest cogere per censuram.

2. *Quis potest absolvere?* Resp. Si facta est à Jure, potest Episcopus nisi sit reservata, vel ob tale peccatum à quo ipse non possit absolvere. Si sit ab homine, absolvet qui eam tulit, vel ejus Superior.

3. *Quæ forma?* Resp. Absolvo te à tali suspensione.

4. *Ob quos casus fit suspensio.* Resp. Ob varios, inter quos est concubinatus notorius Clerici, ordinatio extra tempora, vel à

vel à non proprio Episcopo vel excommunicato. Item ob susceptionem ordinum &c. Qui suspensus celebrat, vel suscipit ordines fit irregularis.

§. 3.

De Interdicto.

Interdictum estCensura, quâ in aliquo loco vel Ecclesia, vel certis personis, interdicitur administratioSacramentorum, vel divinorum officiorum celebratio, sive executio aliquorum spiritualium. Quando prohibentur omnia,dicitur *Strictum*; quando quædam, *Largum*. Non potest autem interdici Baptismus parvulorum, & Pœnitentia morientium, ac viaticum.

Quæres I. *Quibus de causis solet imponi*? Resp. Ex causa rationabili, neque ex peccato particularis personæ nisi sit Dominus loci, sed debet esse peccatum communitatis, velCapituli. In *locali*, si est *generale* interdicitur tota Provincia, vel civitas; Si *particulare*, aliqua

Ecclesia. *In personali* generali, omnes, in particulari, aut certæ personæ vel multæ nominatim. Aliud est ab *Homine* aliud à *Jure*.

Nota. Interdicto Clero vel populo, non censetur interdicta Ecclesia nec è contrà. Et ita, externi & alii nō interdicti possunt ibi celebrare & audire interdictâ etiam Ecclesiâ non censentur interdicta altaria Ecclesiæ cohærentia, vel Capella muro intermedio separata. Interdicto populo alienigenæ qui inter eum habitant, non censentur interdicti, nec pueri doli incapaces.

1. *Quis potest interdicere?* Resp. Papa potest omnia interdicere præter Baptismum parvulorum, & morientium pœnitentiam ac viaticum. Alii Prælati tantùm juxta juris dispositionem. Nota in generali. Interdicto loci non personæ, quotidie in Ecclesiis & Monasteriis Missæ & alia officia celebrari possunt voce submissa, januis clausis, non pulsatis campanis, & exclusis interdictis, & in festivitatibus Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes,

Cor-

Corporis Christi, Assumptionis B. V. Omnium SS. pulsatis campanis, divina celebrante exclusis tantùm excommunicatis: dum tamen illi propter quos est interdictum non appropinquent altari, & non faciant offertorium. Et dies à Vesperis, Vigiliis usque ad Tertiam, Completorium, imò & Missæ & Vigiliæ possunt includi. Item in iisdem diebus potest aqua solenniter benedici & aspergi, & fructus benedici & administrari. Benedici etiam possunt imagines & calices, sed non nuptiæ.

3. *Quâ formâ fit interdictum?* Resp. Nos propter talem causam, Ecclesiam, vel civitatem Ecclesiastico suspendimus interdicto. Sed debet præcedere admonitio, nisi propter delictum enorme non esset necessaria.

4. *Quibus de Causis fertur interdictum?* Resp. Capitulum, Collegium, Monasterium, Senatus, Civitas, interdicitur, propter easdem causas, propter quas singuli homines excommunicantur quando Universitas excommuni-

cari non poteſt, ſed interdici. Itaque interdicuntur in Bulla Cœnæ Domini Univerſitates, Collegia, Monaſteria, & quocunque nomine appellentur, à Pontificis Romani ordinationibus ad futurum Concilium appellantes. Item Univerſitates quæ faciunt ut Clerici illicita portoria ſolvant, quæ faciunt, ut capiatur, percutiatur, in exilium mittatur Epiſcopus. Cujus Dominus ingreſſum, aut negotia impedit Nuncii Apoſtolici.

5. *Quis tollere poteſt interdictum?* R. Diſt. Si ab homine, is qui tulit, vel eo Superior. Si verò à jure, cùm jurislator non reſervavit, Epiſcopus poteſt & non inferior. Et ſi eſſet certum tempus jure taxatum, non poteſt ante illud ab Ordinario tolli, ſed finito tempore per ſeipſum ceſſat, nec opus eſt aliâ relaxatione.

§. 4.

De Ceſſatione à Divinis.

Ceſſatio à Divinis, eſt deſiſtentia à Divinis officiis, & adminiſtratione Sacramento-

mentorum. Est duplex. *Generalis* quæ fit in loco universali, civitate, oppido, Parochia. *Particularis*, quæ in Ecclesia vel Ecclesiis.

Quæres, quomodo differt Cassatio, & Interdictum? Resp. Hoc facit transgressorem irregularem, illa non item. Interdictum non prohibet quominus sacrificium interdum fieri possit januis clausis: Cessatio à Divinis prohibet omnia.

§. 5.
De Irregularitate.

Diximus de hac prima Parte, in qua omnia breviùs perstringebamus, hîc addimus.

Irregularitas differt à Suspensione per hoc, quia Irregularitas facit inhabilem ad suscipiendos ordines, & ad ministrationem in susceptis. Suspensio solùm prohibet exercitium susceptorum.

Quæres ex quibus causis contrahitur Irregularitas? Resp. Omnes posse reduci ad defectum animæ, Corporis Sacramenti.

Ex defectu animæ quadruplici. 1. Ex defectu judicii ut amens carens judicio perpetuò. 2. Ex defectu scientiæ, ut idiota nesciens legere, vel omninò ignorans idioma quo Divina officia sunt conscripta. 3. Ex defectu Fidei, ut Apostata à fide, Hæreticus, qui si moriatur in hæresi, ejus filii usque ad secundam generationem viâ masculinâ, vel usque ad primam viâ fœmininâ sunt irregulares. Item Neophyti, vel paulò antè conversi. *Et delicti.* Ita Homicida, mutilator, voluntarii, etsi justè occidant aut mutilent, nisi se defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ. 2. Peccant peccato enormi notorio ut mereatur depositionem, quam meretur ob adulterium notorium, & alia his majora crimina. 3. Peccatum efficiens infamem infamiâ juris vel facti, vel aliunde. 4. Religiosus egrediens è monasterio ad audiendum jus civile, vel medicinam, si intra duos menses non revertatur. 5. Episcopus, Presbyter, Diaconus recur-

rens ad Imperatorem ſub prætextu injuſtæ executionis.

Ex defectu corporis eſt triplex. 1. Mutilatus aliquo membro ſive culpâ ſuâ, ſive ſine illa. Vel debilitatus, vel deformis, vel laborans morbo comitiali, leprâ, vel læſus ſiniſtro oculo, & ſimilibus aliis corporis vitiis, quibus redditur inhabilis ad celebrandam miſſam ſine errore, vel ſcandalo, & horrore. 2. Illegitimus, niſi priùs legitimetur. 3. Hermaphroditus, & ſi quidẽ magis vergat ad fœmineum ſexum, non tenebit ordo. Servitus, ætas, ſexus, impedimenta ſunt, non irregularitas.

Ex *defectu Sacramenti*, in quo iterata Sacramenta characterem imprimentia, ut Baptiſmus, Confirmatio, Ordo. Et Baptiſmus iteratus tam miniſtrantem, quàm recipientem iteratò reddit irregularem. 2 Si Ordo malè ſuſcipiatur. 3. In Matrimonio, ſi bigamus, qui duas habuit uxores, quæ vera eſt Bigamia, vel unam viduam quæ eſt interpretativa. Item exiſtens in ſacris ordinibus, vel habens

votum ſolenne caſtitatis ſi contrahat matrimonium, ſi Spurius. Sunt præterea alia impedimenta quæ impediunt ordinum ſuſceptionem, aut executionem, & iis durantibus requiritur diſpenſatio, ſed non ſunt irregularitates quia ubi talia impedimenta ceſſant, absq; ulla diſpenſatione poſſunt recipi ordines, vel exerceri, ut ſunt Servitus, Matrimonium, dæmonis obſeſſio, officium curiæ ſæcularis, ſuſpenſio, interdictum, & alia de quibus primâ Parte.

Regulæ generales ad judicandum de Irregularitatibus. 1. Non debet aliquis judicari irregularis niſi id ſit in jure expreſſum. 2. In dubio, non quisque ſe debet reputare irregularem, ſed alius Judex, vel Doctor. 3. Quando irregularitas ſolùm ob peccatum eſt poſita, & non ob aliam indecentiam, qui ignorat hoc eſſe peccatum, eam non incurrit.

§. 6.

De Irregularitatibus in particulari.

Irregularitas ex homicidio vel mutilatione ſunt

sunt ejusdem rationis. Effusio verò sola sangvinis, vel deformatio, vel debilitatio membri, etiamsi reddatur omninò inutile etsi sit tanta ut deformatus reddatur irregularis, non facit irregularem. Hic enim casus non est in jure expressus.

Qui facit etiam *involuntarium homicidium*, seu occisionem justam, dum ejus causa quoquomodo sit voluntaria, efficit irregularem; sive sit licitum ut Judici, sive illicitum. Causa autem intelligitur imperans, consulens, admonens directè, vel indirectè dum sequatur homicidium.

De *casuali ac fortuito homicidio*. Dist. Aut qui fecit homicidium, dabat operam rei illicitæ, aut licitæ, sed illicito modo & si ex ejus operis natura vel modo, vel saltem accidentibus, fuit via ad mutilationem, fit irregularis: Si autem erat illicitum opus ex aliis causis, non fit irregularis, si debitus modus adhibebatur. Aut dabat operam rei licitæ, & licitè facta, non fit irregularis, nisi per se & di-

rectè tendat illud opus ad mutilationem vel homicidium, ut in causa criminali. Etsi nollet reum occidi non fit irregularis, nam irregularitas oritur ex defectu lenitatis. Ut qui jubet in bello jaculari contra aliquem ita ut non occidatur, tamen alterum occidit. Denique *regula hæc* erit *generalis*. Nullus fit irregularis ex homicidio & mutilatione tam casuali quàm voluntaria, qui illam non vult & intendit vel in seipsa vel in causa, nisi velit scilicet illud ex quo id aliquomodo sequitur.

Irregularitas in judicio. Clerici qui petunt justitiam cum protestatione quod non intendant pœnam sangvinis, & proditionem remittunt cum eadem protestatione, non fiunt irregulares. Inquisitor tradens Hæreticum Judici sæculari, licet instet ut comburatur, non fit irregularis, quia Inquisitoribus solùm prohibetur executio. Cæterùm omnes ministri in causa sangvinis, ut Judex, Accusator, Pronuntians, Testis, Notarius, Scribens vel

Pro-

Pronuntians sententiam vel testimonia, Advocatus, Procurator, Assessor, & quivis alius Minister sangvinis, si occidatur, vel mutiletur, fit irregularis.

De *Irregularitate in bello.* In bello injusto non solùm qui occidit, sed quicunque dat arma quibus postea aliquis occidatur, aut qui est præsens ad hoc, vel dat auxilium vel favorem, si moriatur in bello aliquis, fit irregularis. In bello autem justo, nec qui dat arma, nec qui ad pugnam hortatur, nec qui adest, nec qui auxilium præbet vel favorem, etiamsi vulneret, etiamsi sit clericus, non fit irregularis nisi letale vulnus inflixerit, vel nisi vulneret intentione occidendi, vel det arma eâ intentione, ut alter occidat, & occidit.

Sed si quis alteri præbeat arma ut se defendat, ille verò alterum occidit aut mutilat, fitne irregularis? Resp. Si alter se non possit aliter defendere, non fit irregularis. Quia licet olim qui defendebat se cum moderatione inculpatæ tutelæ, fiebat irregularis:

laris : novo tamen jure non fit. Moderamen hoc consistit in eo, cùm quis non potest mortem, mutilationem, aut vulnus evadere nisi præveniret, & tantùm hoc agat ut ista evitet: Sed si det operam rei illicitæ, v. g. furatur, latrocinatur, adulteratur, & dum est angustiis ut occidatur, occidit, mutilat; fit irregularis. Propter verò defensionem rei familiaris, honoris, Reipubl. Parentum, filiorum, aut amicorum, aut aliorum suorum et si fortè aliquando meritò possit occidere invasorem, tamen non excusatur ab irregularitate solùm enim excipitur in jure cùm nosipsos defendimus.

Irregularitas ex malè susceptis vel administratis ordinibus, ita se habet.

1. Ordinatus si sit excommunicatus, vel ante legitimam executionem, vel extra, vel sine dimissoriis, est suspensus, & si celebret fit irregularis.

2. Ordinatus scienter ab Episcopo Simoniaco, Schismatico, Apostata, excommunicato, suspenso, interdicto, deposito,

to, degradato, vel ab eo qui renuntiavit Episcopatui, fit irregularis.

3. Celebrans, vel actum alicujus ordinis exercens ut proprium, vel officium aliud Divinum exercens solenniter, existens excommunicatus, fit irregularis. Similiter qui exercet ordinem quem non habet.

4. Celebrans sine vestibus sacris, vel omnibus, vel aliquibus, vel Clericus sepeliens, celebrans, aut actum alicui ordini destinatum, aut officium Divinum, aut talia exercens in loco interdicto, fit irregulari.

5. Irregularis si celebret non incurrit in novam irregularitatem.

Quæres 1. *Excusatne suspensum, excommunicatum si celebret, ignorantia?* Resp. Sola invincibilis excusat.

Quæres 2. *Si quis postquam incepit missam commemorat sibi quòd sit suspensus aut excommunicatus, quid agere debeat?* Si potest desistere ante Canonem sine scandalo, desistat; si non potest absque eo, per-

gat,

gat, non fiet irregularis. Ex his formatur:

Praxis audiendi Confessiones.

Quæres 1. *Quæ Confessarius habere debet?* Resp. 1. Scire formam absolutionis memoriter. 2. Interrogatorium per singula præcepta Decalogi. 3. Statum Pœnitentium & eorum officia, ut Dominorum, Servorum, Rusticorum, Militum, Puerorum &c. 4. Remedia peccatorum. 5. Quanta sit pœnitentia inponenda.

2. *Quid debet ante confessionem facere?* Resp. 1. Petat gratiam DEI pro se & Pœnitente. 2. Petat à Pœnitente cujus sit status & officii. 3. A quo tempore sit confessus. 4. An in præterita confessione satisfecerit conscientiæ, satis explicuerit, vel tacuerit aliquid. 5. An impleverit pœnitentiam, & restituerit quod erat restituendum, inimicis dimiserit. 6. An pro confessione se præparaverit. 7. An sit excommunicatus, vel aliam censuram habeat.

3. *Quæ Sacerdos agere debeat in confessione?*

Resp.

Resp. 1. Permittat omnia dicere Pœnitentem quæ meminit, nec interturbet, nisi breviter interrogando, si aliquid non potuit intelligere. 2. In quibus deficit Pœnitens, juvet interrogando, & ad contritionem ducendo. 3. Interroget, an doleat de peccatis, an nollet se offendisse Deum, an nolit ampliùs peccare, non est autem interrogandus expressè an doleat super omnia, neq; exigat promissionem de non peccando, sed solùm voluntatem aut propositum, neque an doleat de hoc v. g. peccato.

4. *Quid debet post Confessionem?* Resp. 1. Det aliquod consilium Pœnitenti, quod illum juvet ad meliorem vitam. 2. Imponat pro Pœnitentia vel Orationem, vel jejunium, vel eleemosynam, vel aliud pium opus, mortificationem &c. quæ & satisfaciat pro præteritis, & præservet à futuris. 3. Quodsi quis à Pœnitente læsus, vel damno affectus, satisfactio & restitutio imponenda.

5. *Qualiter judicium ferendum de gravioribus peccatis?* Resp. In quovis casu majori

hæc

hæc videnda. 1. Quæ sit species & qualitas peccati. 2. Quæ censuræ & pœnæ illius. 3. An trahat restitutionem? 4. An aliam obligationem? 5. Jura & Canones quid de tali peccato disponãt. 6. Quæ remedia?

Quomodo cum quibusdam Pœnitentibus procedendum.

Quomodo cum eo qui peccatum habet reservatum? Resp. Juxta Doctrinam Tridentini remittat ad Superiorem, vel ipsemet licentiam absolvendi à Superiore petat, sed non prodat Pœnitentem, tum absolvat à Reservato & ab aliis.

2. *Cum publico Peccatore & scandaloso.* Resp. Imponat publicam pœnitentiam per quam scandalum auferatur, ut omnibus clara fiat ejus conversio, & sic admittat ad Sacramenta, accepto etiam juramento de ampliùs non cõmittendo, & de stando mandatis Pontificis, si peccatum adnexam habet excommunicationem. Quod etiam juramentũ in aliis magnis criminibus exigatur, ut ab incendiariis, &c. Olim si enorme peccatum attulisset

fiflet fcandalum toti civitati, imponebatur folennis pœnitentia, fed modò non.

3. *Quomodo cum hæretico?* R. Si non habet facultatem abfolvendi, petat, vel remittat ad Superiorem. Si poteft abfolvere, interroget, quamdiu ille manfit in hærefi & quem habeat animum. Deinde inftruat in his quæ circa fidem nefcit, pœnitētiam condignam imponat, & ante abfolutionem exigat juramentum de non redeundo ad hærefim, & de ftando mandatis Sedis Apoftolicæ. At fi abfolvendus, & reconciliandus eft publice, fervanda funt ea quæ de his actibus publicis præfcribuntur. Quodfi ordines velit fufcipere, admonendus eft irregularitatis quam ob hærefim incurrit, ut ejus difpenfationem petat à Papa.

4. *Cum Apoftata à Fide vel Religione?* R. Faciendum idem cum priore quod cum hæretico. Alter verò remittendus ad Superiorē Religionis. Quodfi habuerit animū revertendi, & per ipfum non ftaret, quominus adhiberet diligentiam quam debet, cum facultate poffet abfolvi in foro confcientiæ.

5.

5. *Cum Excommunicato?* Resp. Dist. Si excommunicatus ab homine vel nominatim, remittendus ad eum à quo excommunicatus, vel ad ejus Superiorem. Hic etiam in casu necessitatis posset absolvi in foro interno ab habente facultatem, si det cautionem sufficientem, ac paratus sit obedire. Si excommunicatus ab homine in genere. V. G. *Quicunq; hoc facit vel fecerit* datâ cautione quam dare posset pignoratitiam, vel fidejussoriam, absolvi potest, ab habente facultatem absolvendi ab excommunicationibus, in foro interno, non autem ab aliis excomm. nisi ab eo qui excommunicavit, vel ab ejus Superiore. Si ab jure excommunicatus tum ab habente facultatem ut proximè dictum absolvi poterit, hoc est. Si reservata excommunicatio, remittendus ad eum cui reservata; Si non reservata, potest absolvi à quocunq; approbato Confessario, sed priùs ab illa debet absolvi quàm à peccatis & exigendum juramentum de non admittendo ampliùs, & stando

ſtando mandatis Sedis Apoſtolicæ. Si habuerit beneficium admoneatur quodſi interim ex eo fructus percepit, quòd non fuerint ſui, & teneatur illos reſtituere.

6. *Cum Suſpenſo & Interdicto.* Idem quod cum excommunicato, ſed ſuſpenſio ab adminiſtratione propter vitiolam promotionem per Bullam Sixti V. ſervata Pontifici.

7. *Cum Irregulari?* Abſolvendus eſt à peccatis, pro diſpenſatione in irregularitate illa in qua Epiſcopus dispensare poteſt, remittendus ad Epiſcopum: in aliis ad Pontificem. Et ſi beneficium habet, admoneatur non poſſe ſic habere vel retinere.

8. *Cum depoſito, aut degradato?* Abſolvi poteſt à peccatis ſi ſit pœnitens, ſed non ab his pœnis liberari.

9. *Cum Homicida?* Diſt. vidēdo an ſit caſuale an voluntariū. Iterum ſi voluntarium, an factū proditione, an aperto Marte, an veneno, publicè an ſecretò. Perſonæ, an publicæ an privatæ, cognatæ an alienæ, ut juxta qualitatem rei pœnitentia imponatur.

2. Vi-

2. Videnda restitutio, cui facienda & quanta. An occisus filios reliquerit, uxorem, quantum illis inde detrimentum illatum sit. Hæc omnia damna resarcienda sunt ab homicida: imo verò ob ipsam vitam ereptam tenetur uxori & liberis, aliisque conjunctis personis, quæ ab illo pendebant, arbitrio boni viri juxta qualitatem personarum satisfacere, & partis offensæ consensu; aut aliis beneficiorum generibus; & si id non poterit, saltem orationibus. Est autem gravis & non modici temporis imponenda pœna pro genere & qualitate delicti. Admonendus etiam incidisse in irregularitatem, & si beneficia habeat, ipso facto amisisse.

10. *Cum Simoniaco.* Dist. Aut mentalis fuit tantùm, aut conventionalis, aut realis Simonia. Si realis, an in aliis rebus ab ordine & beneficio, tunc absolvi potest, quia istæ non habent censuram. Aut realis in ordine & beneficio, & tum remittatur ad Superiorem, vel petatur facultas, quâ habitâ, indicentur ei pœnæ Simonia-

moniacorum quas incurrit ob Simoniam in ordine vel beneficio, ſcilicet, excommunicationis, privationis tam beneficiorum eorum in quibus cõmiſit Simoniam, quòd & in futurum ſit incapax eorum, & quorumcunque aliorum, & tenetur ad reſtitutionem fructuum. Idem etiam dicendum ſi ſit officium Eccleſiaſticum Simoniacè obtentum juxta bullam Pii V. de prohibitione blaſphemiæ & Simoniæ. Præterea ſi fuit in Ordine, admonebitur quòd ſit ſuſpenſus.

11. *Cum Uſurario.* Diſt. Aut eſt publicus, aut ſecretus, ſi ſecretus faciat reſtitutionem: ſi non poteſt, det cautionem, & abſolvatur. Si publicus, faciat publicam reſtitutionem, reſtitutio de incertis ſit in opera pia: de certis verò, ipſis à quibus accepit reſtituat ordine antiquitatis debitorum ſervato.

12. *Cum Concubinario.* Non eſt abſolvendus niſi relinquat concubinam, & non ſolùm peccatum ſed & occaſionem & periculum. Quod Pœnitentiam attinet, viden-

videndum an sit publicus, an secretus, an Sacerdos sive in sacris, an laicus? juxta qualitatem personarum & gravitatem criminis imponenda erit pœna publica aut secreta. Si Sacerdos sit publicus Concubinarius, fit irregularis.

13. *Cum Conjugibus habentibus secretum Matrimonii impedimentum?* Si possunt ad Pontificem pro dispensatione mittere, id curent: si autem non possunt, Episcopus ipsorum posset cum eis dispensare, sed juxta Trident. opus est ut suscipiant de novo coram Parocho, aut alio Sacerdote de ejus licentia, & duobus saltem testibus, licet secretò. Proclamationes possunt omitti de licentia Episcopi. Et Pius V. declaravit, si priùs in facie Ecclesiæ aliqui se susceperint proclamationes possunt omitti sine alia licentia.

14. *Cum habente muliere filium ex adulterio secreto?* Mulier monenda & quocunque licito modo provideat ne hæc proles cum legitimis filiis succedat in Patris hæreditatem. Ideòque vel inducat

ducat eum in Religionem, si tamen Deus illum vocaverit, & cedat fratribus hæreditate, vel ut idem faciat factus Clericus, & sit beneficio contentus. Vel in compensationem aliis filiis applicet sua bona si quæ habet mater, vel illa det huic filio ut aliis cedat hæreditate, vel aliquid simile faciat per quod illi indemnes reddantur, vel id ipse adulter faciat.

15. *Cum eo qui virginem violavit, aut decepit?* Resp. Dist. Si ipsa invitavit, vel saltem ultrò consensit, ad solam pœnitentiam tenetur, nisi fortè ipsius causâ illa periclitetur aut ejus fama, &c. quia tunc, cùm sit horum malorum causa, teneretur illam auferre, & istis malis occurrere. Si illam decepit, vel intulit vim, tenetur vel illam ducere, vel ita dotare ut æquè benè nubat acsi fuisset virgo.

16. *Cum Raptore mulieris?* Resp. Præter pœnam excommunicationis, & alias juris, non potest illam ducere quamdiu manet in ejus potestate, sed debet in libertate poni, & tum primò de consensu ad Matrimonium interrogari.

17. *Cum eo qui eſt in agone?* In tali nulla excommunicatio, nullum peccatum reſervatum, & ab utroque abſolvi poteſt. Eſt autem illi imponenda pœnitentia pro qualitate peccatorum, quam abſolvat ſi ſupervixerit, interea parva alia pœnitentia imponatur, quam ſtatim posſit abſolvere. Et ſi habeat Pœnitens indulgentias aliquas in morte conſequendas, Confesſarius illi impertiatur. Quodſi non poteſt loqui, per ſigna confiteatur ut poteſt. Si neque hoc posſit, ſi in eo ſigna contritionis apparuerint, abſolvatur.

18. *Cum eo qui ſæpe confeſſus nondum tamen reſtituit?* Non eſt abſolvendus, ſi ſtatim vel paulò poſt poteſt reſtituere, ſed priùs reſtituat. Si autem, vel non poteſt, vel non commodè poteſt, cùm tamen habeat animum reſtituendi, poteſt datâ cautione abſolvi. Et ſi in præſenti non poteſt totum, reſtituat partem quam poteſt.

19. *Cum eo qui omninò non poteſt reſtituere?* Si habeat animum reſtituendi cùm vene-

venerit ad pingviorem fortunam, absolvatur. Sed duplex est impotentia, vel enim simpliciter non potest, & hic modo dicto absolvatur. Vel non potest restituere status sui decentiâ servatâ. Rursus vel hoc non posse solùm ad tempus, tunc aliquantùm differat restitutionem sine injuria tamen & damno proximi, vel eo saltem consentiente, vel certè debente jure, vel ratione consentire in talem dilationem.

2 0. *Cum eo qui non vult parcere inimico?* Videndum quare nolit parcere, ex odione an amore justitiæ, vel quia alicui ex suis timet ab inimico, vel affectu vindictæ. Quamvis enim ferè semper hominibus in timore credendum sit, non sine affectu odii aut vindictæ contingere quòd inimicis non parcant, quo casu non esset absolvendus. Tamen accidit aliquando ut zelo justitiæ quis feratur, & tunc absolvendus esset. Quamvis perfectiùs esset si omninò parceret, & ad id hortandus.

21. *Cum habente plura beneficia?* Resp. Si sunt incompatibilia, tum per susceptionem secundi primum amisit ipso facto. Si sunt curata; Lex enim divina est. *Nemo potest duobus Dominis servire.* Et in omnibus incompatibilibus, si non post sex menses dimittat alterum, utrumque ipso facto amisit, juxta Trident. nec facit fructus suos. Si verò sint simplicia, aut unum sit curatum, & alterum simplex, quorum unum satis est ad congruam sustentationem, etiam est monendus ut alterum dimittat, quodsi nolit, non esset absolvendus, & si plura habeat simplicia, multò minùs; nam ipsa per se pluralitas sine gravi causa, quæ præponderet tot malis quæ sequuntur ex pluralitate, non est permittenda quia requiritur ad pluralitatem quamcunque dispensatio Pontificis legitima, & causa sufficiens dispensationis, nec altera sine altera satis est.

22. *Cum Ecclesiasticis beneficium habentibus?* Si malo titulo habent, omninò dimittant, & restituant fructus. Si verò bono ti-

no titulo, de peccatis Clericorum interrogandus.

23. *Cum petente secum dispensari in voto, Juramento, poenitentia ; vel si petat horum commutationem?* si magis expedit in his dispenſetur, vel ne hæc commutentur, nihil faciendum. Si expedit dispensari aut commutari, fiat, ſed ſit hujus rei cauſa juſta. Commutatio fiat in æquale, vel ſi id fieri non poteſt, ſaltem in quaſi æquale, & ab habente ad id poteſtatem.

24. *Cum Religioſis alterius Ordinis?* Si caſus ſit gravis, præſertim qui posſit redundare in damnum Religionis, remittatur ad ſuperiorem : in aliis poteſt abſolvi ſi eſt contritus & caſus non reſervatus. Si poteſt ſuam Religionem accedere cum quibusq; mortalibus ad eam remittẽdus.

25. *Cum eo qui non eſt contritus?* Excitandus ad contritionem modis omnibus, ex gravitate & deformitate peccati, ex Dei dignitate contra quẽ peccatur, ex beneficiis acceptis, ex quatuor novisſimis &c. Quid ſi adhuc manifeſtè appareat non cõtritus, differenda abſolutio, & præſcri-

benda interim aliqua opera misericordiæ, & ut deinde redeat.

26. *Cum eo qui non vult acceptare poenitentiam?* Dist. Si gravis est & aspera etsi justa, quia hoc forum non est purè justitiæ sed etiam misericordiæ, potest eam pœnitens deprecari, & alteram petere. Si verò sit mediocris & facilis, & tamen pœnitens eam detrectet, urgeatur ad eam et si nolit absolutio neganda. Potest autem, & expedit, ut aliquando minor injungatur. Quodsi minimam abnueret, non debet absolvi, nec censeri contritus, & vult Sacramento adimere tertiam partem, id est, satisfactionem. Idem est dicendum si injungeretur gravis, necessaria tamen ad vitandum peccatum futurum.

27. *Cum incontinente?* Hæc remedia adhibenda. 1. Auferatur occasio peccati. 2. Curet ut semper sit occupatus. 3. Manè & vespere petat à *Deo* donum castitatis. 4. Sacramenta confessionis & communionis frequentet. 5. Eleemosynas ad eundem finem largiatur. 6. Sacrificia

Missæ

Missæ pro se fieri curet. 7 Orationibus piorum se cōmendet. 8. Affligat corpus cilicio, humi cubatione, continuato jejunio duro.

28. *Cum eo qui in proxima occasione peccati?* Non absolvendus nisi illam dimiserit.

29. *Cum eo qui sæpius jurat?* Remedia similia quæ pro incontinente, & aliquando sed prudenter neganda absolutio.

30. *Cum puero vel foemina.* Cautè in lubrica materia interrogentur. Ne doceantur quod ignorant: agendum suaviter sed tamen graviter ne verecundentur dicere, aut ne aliorū detegant peccata.

31. *Cum ignorante?* Primò permittatur quæ scit sua peccata dicere, deinde examinetur benè, & instruatur. Videndum an sciat articulos fidei qui continentur in symbolo, si saltem interrogatus de illis possit respondere, similiter de decem præceptis, item quid sit DEus, Christus, B. Virgo, SS. Trinitas, Ecclesia, ut hæc saltem ruditer sciat, docendus: & ut sciat Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, 32.

32. *Cum Principibus?* Exploranda quæ sunt eorum status & gubernationis, item vita privata & publica, redituum usus.

33. *In quovis casu* advertenda sex. 1. Species & gravitas peccati. 2. Censuræ aut pœnæ. 3. Restitutionis obligatio. 4. Vel aliqua alia obligatio ex peccato nata. 5. Jura quid de eo disponant. 6. Quæ danda remedia pro qualitate loci, temporis, personarum.

34. *Quid cum eo qui percussit Clericum in minoribus, sed conjugatum?* Resp. Talis Clericus si defert tonsuram & habitum, & duxit unicam & virginem, duobus gaudet privilegiis. Scil. quòd qui illum percutit, est excommunicatus, & ad forum sæculare trahi non potest. Cap. de Cleric. conjug. in 6. Et dum ex Episcopi deputatione serviat alicui Ecclesiæ. Sed si deponat vestes & tonsuram, amittit hæc privilegia, & si eas reassumit, etiam privilegia.

35. *Cum Sacerdote?* Dicat quâ intentione factus Sacerdos, an purè propter Deum, an ob aliquid temporale, an intercesserit

Simo-

Simonia, an concionetur non vanitatem sed conversionem quærendo? quâ devotione dicat missam, an cum devotione & diligentia Sacramenta administret, an gratis? an indignos absolverit, an monuerit præsertim de restitutione.

36. *Cum Dominis.* Videndum an suum dominatum justo modo acquisierint, an indebita imposuerint onera etiam specie donativorum, an indignos officiis admonuerint, aliquid pertinens ad subditos sibi usurpaverint.

APPENDIX.

Proponuntur brevissimè, spectantia ad Confessionem desumpta ex Memoriali longiori sciendorum à Confessariis impresso Bononiæ anno 1620. jussu Card. Ludovisii.

1. Quot res debet habere Confessarius? Resp. 10. Ordinem, Jurisdictionem, usum jurisdictionis non impeditum, scientiam, Prudentiam, bonitatem, sigillum, approbatio-

bationem, attentionem , Formæ prolationem.

2. Quot requiruntur in Pœnitente ? Resp. 5. Ut sit in Confessarii jurisdictione, utatur ratione, cum debita intentione accedat, examinet conscientiam , exactè peccata dicat, doleat, satisfaciat.

3. Quam scientiam debet habere Confessarius ? Resp. Debet illa scire quæ requiruntur ad ministrandum hoc Sacramentum circa materiam & formam , & & his adnexa.

4. Quæ est forma hujus Sacramenti ? Resp. *Ego te absolvo.* &c.

5. Quomodo debet proferri forma ? Resp. voce, & cum intentione absolvendi.

6. Quæ verba sub præcepto debet dicere ? Resp. Hæc, *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritûs S. Amen.* Præcipitur etiam ut si Pœnitens sit excommunicatus, priùs absolvatur ab excomm. deinde, ut serventur ea, si quæ sunt quæ Episcopus proprius in hac re præcipit.

7. Quæ debent fieri de congruo? Resp. Debet dicere Confessarius, *Misereatur tui*, &c. *Passio Domini nostri*, &c. Debet in signum potestatis attollere manum versùs Pœnitentem antequam absolvat, signet cruce Pœnitentem, in sacro & aperto loco audiat, neque in tenebris mulierem.

8. An possit absolvi quem constat esse indispositum si ille se dicat dispositum? Resp. Non.

9. An possit absolvi de quo alter Pœnitens dixit in confessione, quòd non sit dispositus, ille verò se dicit dispositum? Resp. Potest.

10. An possit absolvi sub conditione? Resp. Si conditio sit de futuro, v. g. *Si Superior id approbabit*, non potest. Si conditio sit de præsenti vel futuro, licet absolvere in his casibus. 1. Quando Confessarius dubitat an dixerit essentialia, quia v. g. casu aliquo interrupit formam, tunc dicat. *Absolvo te si non es absolutus*. 2. Si dubitat, an verè sint ea peccata quæ dixit

Pœnitens, tunc dicat. *Ego te absolvo, si sunt peccata.* 3. Si dubitat an pœnitens sit compos rationis, dicat, *Absolvo si habes usum rationis.* Non est tamen opus has conditiones voce exprimere.

11. An possit absens absolvi à peccatis? Resp. Non.

12. An possit absolvi moribundus qui non aliud ostendit quàm desiderium confitendi? Resp. Posse. Uti etiam potest qui solebat sanus sæpiùs confiteri, etsi modò propter vim morbi nullum det signum, saltem sub conditione. Et in his duobus casibus, si ordinarius deest Sacerdos, potest & debet quilibet alius absolvere.

13. An possit absolvi præsens si per interpretem, vel scripturam confiteatur? Resp. Potest, si aliter confiteri non possit. Sed si putat se contritum, non tenetur talibus modis confiteri, sed tamen tenetur per signa.

14. An possit absolvi qui non omnia dixit peccata? Resp. Potest. Si alia peccata non possit dicere, & de omnibus doleat mortalibus.

15. An

15. An possit absolvi qui putat se non evitaturum peccata, vult tamen illa omninò vitare? Resp. Potest, nisi talis esset in proxima occasione peccandi quam posset & nollet dimittere, vel certè, non potest quidem hanc occasionem dimittere, sed tamen jam post aliquoties confessiones in eadem relapsus in prius peccatum, tum enim differenda esset absolutio, neque enim de illo præsumi potest quòd in hac positus occasione vitabit peccatum.

16. Quis potest absolvere à censuris? Resp. Potest quilibet Sacerdos in mortis articulo; & extra hunc approbatus si non sint ulli reservatæ.

17. An possit in articulo mortis quilibet Sacerdos dispensare in irregularitate? (articulus est hìc, cùm est periculum mortis) Resp. Non potest.

18. Quid Pœnitens facere debet qui dum confitebatur putabat bonâ fide se esse dispositum, postea verò advertit se nõ fuisse dispositum? Resp. Non est opus ut repetat confessionem, sed solùm de hoc

defe-

defectu doleat. Sed si dum confitebatur advertebat se non esse dispositum, invalidam fecit confessionem.

19. Quid si Confessarius est excommunicatus non tamen denuntiatus neque Clerici notorius percussor? Resp. Valere ejus absolutionem, sed absolvendo peccat & efficitur irregularis.

20. Quando potest Confessarius mutare poenitentiam ab alio poenitenti impositam? Resp. Quando potest à talibus peccatis absolvere.

21. Quæ est materia Sacramenti Poenitentiæ? Resp. Materia proxima, est contritio, confessio, & satisfactio Poenitentis: remota verò est, peccata.

22. Quæ materia est necessaria, sive necessariò ad confessionem afferenda? Resp. Peccata mortalia, quæ non necessariò afferenda, sed si afferatur sufficit ad absolutionem, sunt venialia. Sed quæ peccata quis ante baptismum commisit non debet ad confessionem afferre.

23. Quid est Contritio? Resp. Est dolor

dolor de peccatis cum proposito illa confitendi.

24. Quotuplex est contritio ? Resp. Est perfecta, & imperfecta seu attritio.

25. Quid faciet Confessarius quando dubitabit an Pœnitens sit dispositus ? R. Credat Pœnitenti se dispositũ asserenti.

26. An Confessarius debet scire, quæ sint mortalia, quæ venialia, quæ trahant restitutionem ? item quæ reservata, quæ cujusque statûs propria ? R. debet vel ad minimum de hoc ut possit dubitare.

27. Quæ debet scire quisque Christianus ? R. Decalogum, Præcepta Ecclesiæ : fidei, spei, charitatis actus, obligationem, & doctrinam de Sacramentis quæ recipit.

28. Quæ debet scire Confessarius qui audit Clericos ? Resp. Eorum statûs peccata, censuras, irregularitates.

29. An à scrupuloso possit exigi ut hoc quod dicit ut peccatum, juret se verè putare esse peccatum ? R. Posse aliquando.

29. An qui dolet se non dolere, sufficienter sit dispositus? R. Esse si simul habeat propositum de cætero non peccandi.

30. Quas conditiones necessariò requirit Confessio? Resp. Ut sit integra, diligens, fidelis, obediens.

31. Quæ integritas semper est necessaria? Resp. Ut de omnibus doleat, etsi in certis casibus non omnia dicat, & hæc vocatur Formalis.

32. In quibus casibus formalis integritas sufficit? Resp. In quatuor. 1. Cùm quis omninò oblitus peccati. 2. Cùm non potest omnia dicere, ut in naufragio. 3. Cùm justè timet grave damnum si dixerit peccatum. 4. Cùm sola venialia habet, vel illa quæ jam confessus anteà.

33. An mentiri in confessione sit mortale? Resp. Esse mortale quando negat peccatum mortale.

34. In quibus casibus non valet confessio? Resp. In his. Et inprimis ex parte Confessarii, quando hic non habet omnia requisita: vel quia non est Sacerdos, vel quia caret jurisdictione, vel habet illam impeditam, vel non attendit ad peccata Pœnitentis, vel non verè absolvit. Ex parte verò

te verò Pœnitentis, si non habeat usum rationis, vel non intentione confitendi peccata dicat, vel non integrè confitetur, vel omni caret contritione.

35. *Quid est Satisfactio?* Resp. Est id quod imponitur à Confessario ut per hoc pœna temporalis exolvatur. Hæc satisfactio est solùm pars integralis Sacramenti, debet tamen imponi semper exceptis paucis casibus, & eam tenetur Pœnitens acceptare.

36. Qualis debet esse Satisfactio? Resp. Talis ut simul per illam puniantur peccata præterita, & sit remedio contra futura. Possunt imponi in satisfactionem & opera aliunde debita, aut etiam per alium implenda, quod tamen nisi confessarius expresserit, intelligendum de operibus indebitis, & per seipsum faciendis.

37. Quando potest unus Confessarius mutare satisfactionem quam alter imposuit? R. Tum mutare non potest quando absolvere non potuit à peccatis pro quibus est imposita: aliàs potest sed ex causa

justa

justa, ex qua etiam illam minuere poterit, quando scilicet videt non aptam impositam, vel à Pœnitente non implendam, neque est opus ut Pœnitens repetat peccata pro quibus est imposita.

38. An tenetur iterum confiteri qui oblitus est impositæ sibi satisfactionis? Resp. Non teneri.

39. Quando quis obligatur confiteri? Resp. Quilibet saltem in anno semel tenetur; item quando est in mortali & ad S. Communionem accedit. Sacerdos existens in mortali si omninò debeat Missam celebrare, neque possit confiteri, conteratur cum proposito quamprimùm confitendi: eadem ratio de illo qui omninò debet communicare, sed hìc non ita statim confiteri tenetur ac Sacerdos. Tenentur confiteri omnes in periculo mortis constituti: item illi qui solent labi nisi communicent.

Casus 20. communiores in quibus restitutio facienda. Hos casus versiculis sequentibus comprehendimus.

Lucrator, raptor, fur, miles, causaque damni,
Participans, Sacer, & Judex, & Curia, contract,
Falsator, prodens, Simon, quique impedit, & qui
Injustè ludit, locat, aut fert turpia lucra,
Detractor, corpus lædens, animamque tenetur.

De Lucro.

1. Si propter mutuum pignus accepit & ex illo lucrum fecit, restituat lucrum labore compensato.

2. Si deposui pecuniam apud Petrum, ut illâ & lucretur, & omni casu reddat integram, ac lucrum mecum dividat, lucrum debeo quod accepi restituere.

3. Si pretio majore vendo, quia non statim pretium persolvitur: vel emo minore quia statim solvo, neque merces in carius tempus fuit servanda quo certè omninò merces plus fuisset valitura, quidquid de pretio detraxi, vel plus exegi restituere teneor.

4. Qui

4. Qui facit ficta cambia tenetur restituere.

5. Si propter mutuum est aliquid datum pretio æstimabile illud restituendum.

De Raptore.

1. Qui rem alienam rapuit, & rem & fructum ejus tenetur.

2. Si quis exegit tributa, labores, ultra debitũ, aliquos magis aggravavit, tenetur.

3. Si quis telonia exegit, vias tamen non reparavit, nec alia fecit propter quæ dantur telonia. Vel si authoritate privatâ imposuit telonia, tenetur.

4. Ex naufragio collecta debent restitui.

5. Christiani in bello capti si vendantur, debent restitui.

De Fure.

1. Qui res inventas retinet quarum scit Dominum, debet.

2. Qui in res malâ fide possessas facit præscriptionem.

3. Qui ex pignore vel commodato sibi fructum facit. Vel illa amittit restituere tenetur.

4. Qui

4. Qui furatur etiam uxori, Parentibus &c. etsi faciat ex hoc eleemosynas tenetur.

De Militibus.

1. Qui gerit bellum injustum, vel svadet, vel juvat, tenetur damna reparare parti læsæ, etsi nihil ex iis lucri percepit, idem est de militibus in tali bello occupatis. Imò tenetur & subditis propriis si illos ad hoc bellum coëgit, compensare: si quæ damna acceperunt.

2. Tenetur etiam qui in bello justo spolia divisit injustè.

3. Item qui in bello justo spoliat templa, mercatores, peregrinos.

4. Item qui in bello justo suos non defendit, aut bellum trahit, maximè si pro stipendio militet.

De Causa damni.

1. Tenetur cùm quis imperat, svadet, juvat, furtum, rapinam, usuram, vel aliud damnum, quod sine hoc consilio, imperio, auxilio non fuisset factum: quodsi fuisset quidem factum; sed minùs, tenetur ad excessum.

2. Qui

2. Qui facit usuram, etsi in bonum alterius, ut tutor in pupilli, Factor in Patroni, tenetur si ille non satisfaciat pro quo facit.

3. Si Petrus sine te hoc damnum non fecisset, ad totum teneris: si fecisset, ad id teneris quod ipse intulisti. Idem est de cooperatione ad contractus injustos.

4. Qui rem raptam occultat, vel damnificatores receptat ex quo damna sequuntur, tenetur.

5. Qui ex officio debet & potest sine periculo vitæ suæ impedire damna, furta prodere, aut fures, neque facit, tenetur.

De Participante.

1. Tenetur qui accepit dono rem malè acquisitam, postquam id cognovit.

2. Tenetur, qui malè ab alio acquisitis vescitur.

3. Item qui ex malè acquisitis dotem accepit.

4. Item qui scit, vel crassè ignorat, esse aliena, emit: tenetur Domino restituere; vel si hic desit, pauperibus. Imò etsi

bonâ

bonâ fide emit. Sed postea cognovit malè fuisse à possessore acquisita.

5. Item qui per hæreditatem, vel legatum malè parta accepit.

De Sacrilego.

1. Tenetur restituere qui res accepit sacras.

2. Item qui accepit rem de loco sacro in quo fuit reposita causâ securitatis, & est Sacrilegus.

3. Item qui incendit, effregit locum sacrum, aut ei vectigal imposuit.

4. Tenetur & Clericus qui bona Ecclesiæ dilapidat, donat, in vanitates, in consanguineos convertit: imò & si reditibus ad se spectantibus ita abutatur, quamvis in hoc puncto quidam liberent à restitutione.

5. Item qui oblata Ecclesiæ subtrahit, qui decimas non solvit, qui beneficium accepit per intrusionem, aut Simoniam, aut existens irregularis.

De Judice.

1. Judex qui fert sciens injustam sententiam ad omnia tenetur damna. 2. Si

2. Si ex ignorantia crassa tulit injustam, tenetur. Sed si fraude Assessoris vel ineptiâ quem putabat esse bonum & probum, deceptus tulit, tenetur Assessor.

3. Tenetur item Judex, si protulit injustam sententiam, quia noluit magis inquirere in veritatem.

4. Qui accipit pretium pro eo ut judicet vel non judicet: aut, ut benè vel malè judicet, tenetur restituere. Sed non illi qui dedit ut injustam ferret sententiam, tum enim pauperibus restituendum, & parti læsæ compensandum.

5. Si non vult Judex cùm debet & potest ferre sententiam non fert, ut sic faveat parti injustæ, quidquid per hoc patitur pars justa, restituendum illi.

6. Si pœnam sceleris dimittit vel diminuit illicitè, tenetur communitati quæ ex hoc damnum patitur; Si verò auget pœnam, tenetur damnificato.

De Causidicis & aliis Forensibus.

1. Si Advocatus causam injustam lucratur, cliens tenetur omnia damna restitue-

ſtituere: & ſi cliens noluerit, tenetur Advocatus. Sed ſi Clientem decepit aſſerendo cauſam eſſe juſtam quæ non erat juſta, & ſi non dixiſſet, non litigâſſet Cliens, ſi cauſam perdit, tenetur & Clienti damna reſtituere, & parti læſæ: ſi verò lucratur, ſoli parti læſæ tenetur.

2. Si cauſam juſtam ex juris ignorantia, vel craſsa negligentia amittit, tenetur clienti ad totum.

3. Si malis conſiliis datis Clienti cauſam perdidit, tenetur: ſed ſi bona conſilia dedit, non tenetur.

4. Qui accuſat alterum de falſo crimine, de falſo debito, tenetur expēſas. Si de vero accuſat ſed prece vel pretio deſiſtit, ut prævaricator tenetur Communitati.

5. Si reus legitimè interrogatus, negat, & inde accuſatori damnum aliquod ſequitur, tenetur illi. Qui injuſtis dilationibus aut appellationibus utitur, tenetur ad expenſas parti damnificatæ.

6. Qui falsò teſtatur, ad omnia tenetur damna. Si accipit aliquid pro teſtimonio,

etiam vero, tenetur dare totum pauperibus.

De Contrahentibus seu Emptore & Venditore.

1. Qui rem vendit in substantia diversam pro alia, ut mulsum pro vino, tenetur restituere.

2. Qui in mensura vel pondere fallit, tenetur ad partem in qua damnificavit.

3. Si rem corruptam pro bona, equum infirmum pro sano, tenetur: & si noxiam vendidit pro bona ut equum furiosum, etiam tenetur ad damna.

4. Si nimio pretio vendat quia emptorem videt in necessitate, vel nescientem rei pretium, tenetur quod supra justum accepit, reddere. Par est ratio de Emptore in dictis casibus.

5. Qui fallit justum vectigal tenetur.

De Falsariis & Adulteris.

1. Qui fallit mensuras, pondera, tenetur damna restituere.

2. Qui monetam falsam cudit, qui veram abradit, qui falsâ utitur, tenetur.

3. Qui Bullas falsis causis obtinet, impedimenta reticet, beneficium nullo jure

habet aut gratiam: tenetur illud resignare & fructus perceptos restituere.

4. Instrumenta publica falsificans, testamenta &c. tenetur ad damna.

5. Mulier si ex adulterio concepit, vel alienum partum suppoluit, tenetur patefacere: & ea quæ hæc proles falsa consumit, & quæ legitimis de hæreditate subtrahit, tenetur illis refundere.

De Proditore.

1. Tenetur si aliquam ditionem proprio auferat Domino & det alieno.

2. Proditor etiam est qui aliquem tradit ejus inimicis ad mortem, vel ut in negotio impediatur, & talis omnia damna debet compensare.

3. Similiter qui, ut bona alicujus deveniant in manus inimicorum, procurat; vel inducit in locum in quo spolietur.

4. Item qui prodit alicujus secreta cum ejus damno. Ita & causidicus si prodat sui Clientis secreta tam hic quàm ille tenetur ad damna reparanda.

5. Qui fallit fidem datam altero illam servante.

De Simoniaco.

1. Simonia est si quid detur vel accipiatur pro Sacramentis, vel collatione beneficii, sive id fiat antea sive post, dummodo per modum pretii detur, nam dari potest, sed non ex contractu, per modum eleemosynæ, sustentationis, gratitudinis &c. Tale pretium restituendum pauperibus vel Ecclesiæ cui facta est injuria. Idem est de aliis rebus sacris, ut templis, altari consecrato, aquâ baptismali, oleo sancto, reliquiis, sepultura in loco sacro, jurepatronatûs, ingressu religionis, item pro prædicatione, oratione, visitatione, electione, confirmatione, pro exercitio curæ animarum, ut desistat Prælatus corrigere. Incurrit hanc Simoniam qui pro his pecuniam exigit, vel recipit etiam ex parte. Sed si verè offeratur per modum eleemosynæ & qui illam recipit verè est pauper, potest retinere.

2. Qui promovet ad beneficium vel officium Ecclesiasticum, vel ad aliquod spirituale, si pro hoc recipit aliquid, tenetur pauperibus reddere.

De Impedientibus.

1. Qui alteri jam possessum beneficium vel officium aufert injustè, tenetur ad totum damnum. Si nondum ille fuit in possessione, cōpensetur boni viri arbitrio.

2. Tenetur qui impedit fructum, agri, arboris, tenetur & ille cujus columbi damna inferunt.

3. Tenetur qui impedit ne per usuram acquisita restituantur, aut repetantur: item qui dat securitatem ut usuræ solvantur aut dat sententiam vel ut solutæ non repetantur; nisi tamen ipse usurarius restituerit.

4. Item qui protegit debitorem ne ab eo repetatur debitum.

5. Qui impedit ne quis sua honesta negotia exequatur, qui occultat instrumenta jus ejus continentia, impedit ne Judicem accedat, tenetur ad damna.

De Ludo.

1. Tenetur, qui mendacio, vel artibus in ludo vetitis lucratur.

2. Qui lucratur ab his qui non sunt Do-

mini pecuniæ, ut Filii, mancipia, pupilli, uxores, Religiosi.

3. *Qui* lucratur ab eo quem importunitate coëgit ad ludum, aut volentem à ludo recedere detinuit.

De Locantibus.

1. Qui rem vitiosam elocat, unde alter damnum accipit, tenetur ad damnum. Item qui rem locatam repetit ante condictum tempus.

2. Item qui nimium pretium exigit pro rei locatione.

3. Si conducat nimis parvo pretio, vel differat cum alterius damno, vel det res loco pecuniæ ut alter in iis vendendis molestiam subeat, tenetur ad damna.

4. Qui operam locavit, & ob suam festinationem vel negligentiam, damnum intulit: tenetur.

5. *Si* rem locatã destruxit, aut destrui permisit. Item si inde tractavit Vasallus Domini bona, tenetur ad damna.

De Lucro ex re turpi.

1. Qui ex opere carnali aut lenocinio lucratur; suadendum ut restituat, sed ad hoc nõ

obli-

obligatur ex justitia. Similis ratio de lucro ex artibus prohibitis ut divinatione, incãtatione, obsequio turpi, per quæ tamen nulli damnum est illatum. Idem de lucro ex labore diei fessti vel in loco sacro. Idem de illis qui armi Paganis vendunt.

De Detractione.

1. Qui alterum falsò accusavit, antequam alter puniatur, tenetur revocare, nec in accusatione procedere. Quodsi jam alter punitus arbitrio boni viri satisfaciendus.

2. Qui extra judicium affirmat falsum, aut id de quo dubitat sitne verum, tenetur revocare nisi inde gravius sibi immineret malum, quod si accideret, alio modo satisfacere tenebitur.

Si verò crimini alterius aliquid notabile affinxit, vel cùm alii dicerẽt talia ipse nutu, signis, confirmavit, aut etiam silentio, inde factum ut vera crederentur, debet id quod falsum est revocare.

4. Qui verum sed occultum crimen alterius revelavit, & si dixerit, se solùm id audivisse, debet reparare famam.

5. Similiter qui alterum contumeliâ præsentibus aliis afficit.

De Uulnerante.

Qui occidit extra judicium, vel extra sui defensionem justam, moderatam, id est, si plus egit quàm oportebat ad sui tutelam, tenetur ad damna.

2. Qui mutilat, percutit, tenetur & medico solvere, & damna inde secuta cōpēsare.

3. Qui incarcerat injustè, tenetur ad damna. Idem est de eo qui aliquem injustè in exilium misit.

De Offendentibus animas.

1. Qui vel dissuadet volenti ingredi Religionem, vel ex illa eduxit, tenetur revocare, vel alterum ex quo Religio par habeat emolumentū inducere modo debito.

2. Qui suasionibus induxit ad crimen, hæresim, tenetur abducere.

3. Qui abstulit nolenti virginitatem, tenetur vel eam in uxorem accipere, vel dotare ut tam benè nubat atque si esset virgo. Si id fraude fecit ac promissis, ad idem tenetur. Si consentienti liberè, abstulit, ad nihil tenetur.

4.

4. Si Superior suâ negligētiâ permittat peccata, tenetur illis obviare, & multò magis si ad ea suo pravo exemplo induxit.
5. Si malis suis actib9 scandalisat, ut ornatu vano, ludis, blasphemiis, turpiloquio, &c. Debet reparare damnū actibus cōtrariis.

Alia quædam de Confessarii approbatione.

Qui mediocriter idonei videntur possūt ab Ordinario ad confessiones audiendas solùm ad tempus approbari. De quorū idoneitate constat possunt absq; examine approbari. Sed in una Diœcesi approbati nō possunt audire in alia. Ab hæresi purè mētali potest quisque approbatus absolvere, sed non à casibus Episcopo reservatis. Qui audit absque approbatione & licentiâ, & graviter peccat, & absolutio est nulla, & ipse efficitur incapax approbationis. Qui approbatus pro Cōfessionibus sæcularīū, non eo ipso pro Monialium: & si pro Monialibus pro una vice approbatus, non ideò pro altera vice: similiter qui pro uno illarum Monasterio, non eo ipso pro altero illarum approbatus. Qui semel convictus de violato Sigillo

confessionis nunquam deinceps potest audire confessiones Sæcularium.

De Ordinatione.

Qui falsis dimissorialibus utitur bonâ fide non incurrit pœnas: si malâ fide, est suspensus, & si exercuerit Ordinem, fiet irregularis. Est subditus Episcopo qui venit in ejus Diœcesim animo in illa stabiliter habitandi, signum hujus animi est, si majorem partem suorum bonorum in Diœcesim inferat: quodsi nulla bona habeat, requiritur ut in Diœcesi per decennium habitaverit cum animo in perpetuũ habitandi. *Franchis.* In interstitiis solus Episcopus dispensare potest, & censetur dispensare si sciens defectum interstitii ordinat, aliàs non. Causa dispensandi cum Clerico ad Subdiaconatum est necessitas Ecclesiæ, cum Subdiacono ad Diaconatum sufficit levis causa; cum Diacono, Ecclesiæ necessitas & utilitas.

Accedens ad Ordines hæc in se consideret. 1. An habeat ætatem sufficientem. De quo 1. parte fol. 1. 2. An interstitia expleta. 3. An priorem Ordinem exercuit? 4. Si

est

est ex aliena Diœcesi an habeat dimisso-
riales? 5. Ne sub aliqua sit censura? 1.
parte 151. aut irregularitate 1. p. f. 97.
6. An sciat canere quæ sunt sui Ordinis?
7. Si Religiosus, an habeat facultatem à
suis Superioribus, testimonium de mo-
ribus, de interstitiis, de exercitio prioris
ordinis, de sumpto priore ordine & quòd
sit professus. 8. An sit alicujus subditus,
obæratus, desponsatus, obligatus ad ra-
tiones? 9. An sciat præcepta Clericorum.
100. Plura videri possunt in Synodo Lu-
biniana.

Accedens ad minores. 1. An sciat latinè?
2. An testimonium legitimi ortûs habeat?
3. An bigamus? 4. An sciat materiam, for-
mam, cujusque Ordinis? 1. p. 25. Dein-
de 5. An si habeat dimissoriales habeat te-
stimonium proprii Episcopi de vita & mo-
ribus.

Accedens ad Subdiaconatum. 1. An habeat
legitimam provisionem? 2. An doctrinam
sufficientem? 3. An testimonium morum?
4. An sciat casus qui in suscipiendo Ordi-
ne possunt accidere, 1. p. 22. & 91. Itemq;
ejus

ejus Ordinis Materiam & formam. 5. An sciat Breviarium recitare. 6. An sit sub aliqua censura. 7. An intelligat voti castitatis obligationem?

Ad Diaconatum, 1. An sciat Materiam, Formam, Ordinis. 2. Scientiam habeat sufficientem. 3. Casus sciat sui Ordinis. 1. p. 25. An sciat doctrinam de Baptismo, Eucharistia.

Ad Presbyteratum. 1 An sciat Missæ ritum & casus? p. 56 2. Doctrinam de Sacramentis? 79. 3. De Sacerdotio 81. 4. An sit versatus in Missali? 5. An habeat doctrinam sufficientem? 6. Quomodo sit affectus ad munditiem templi, & sacrorum vasorum? 7. Quando non satisfacit divino officio? 8. Quando Missæ votivæ dici possint? 9. Et alia quæ in utraque parte hujus Opusculi tractantur.

Insuper si vult approbari ad Confessiones audiendas. 1. An sciat formulam Absolutionis? 2. An Censuras. 1. p. 151. 3. An Casus reservatos, & Bullam Cœnæ? 4. An intelligat claves Ordinis? 10. 11. 107. 5. An doctrinam de Pœnitentia? 6. An doctrinam de Matrimonio? 7 An de Simonia, usura, votis,

contra-

contractibus ? 8. Quæ ſint neceſſaria ad valorem confesſionis, & errores quomodo corrigendi ? 72.9. Quid de Sigillo ? 75. 179. 10. De aliis Sacramentis. 14. 15. 16. &c. 31. &c. 11. Quid ſit approbatio, Jurisdictio, & in quos ? 12. De interdicto ? 13. De Reſtitutione 134. 142. & hic parte ſec. 79. 81. 84. 110. 14. Quid de Recidivis ? 132. 15. Quid de proxima occaſione ? 131. 16. De Scrupulis ? conſcientia erronea &c. Et interim proponat ſibi varios caſus videndo quomodo eos posſit ſolvere.

Si ad curam animarum accedat. 1. An ſciat ea quæ Confeſſarius ſcire debet. 2. Ritus Matrimonii, Extremæ Unctionis. 3. Modum agendi cum peſte afflatis, parturientibus, &c. 4. An caſus Baptiſmi ? 5. An jus Aſyli, ſepulturæ ? 6. De maleficiis ? 7. De reis, teſtibus, Judicibus, & aliorum ſtatuum caſibus ? 8. Quid de variis caſibus circa Sacramenta, de quibus hic parte 1. f. 317. 31. & ſequentibus. 9. De via Spirituali, Quid de illuſionibus ? Quousque ſe poteſtas ſua extendat quoad diſpenſationes, abſolutiones, excommunicationes, &c.

Aliud Examen.

De DEO, de Angelis quid, quales. De Dæmonibus. Quæ officia Angelorum. Quomodo tentet dæmon. Quid ſit Eccleſia, quotuplex, cur dicitur Catholica, una, ſancta, quomodo differt à Synagoga. Quod officium cujusque Ordinis. Miſſa quid, quæ myſteria, partes.

Pro Diaconatu. Huic adjungitur officium prædicandi.

di. Qui libri Canonici Scripturæ, qui Veteris aut novi testamenti. Qui authores librorum, quâ lingvâ scripti, Quid lex vetus quid nova, Peccatum quid est, quæ remedia, quid claves. Baptismus quotuplex, quis fructus Sacramentorum & quam præparationem requirant.

Pro Presbyteratu. Quid cuique Personæ proprium in Trinitate. Quomodo conditus mundus, symbolum S. Athanasii, Fidei motivum & à Spe differentia. Quid charitas, quotuplex, obligatio ad eleemosynam. Animæ status post mortem, Præcepta Ecclesiæ, Ceremoniæ in officiis Divinis, thurificationes, Ritus sepulturæ, Peccata aliena, Peccata in Spiritum S. Consilia Evangelica, Errores modernorum Hæreticorum & Schismaticorum, Quatuor novissima, Judæorum error, Armenorum. Dona Spiritûs S.

Pro Parochia. Si jam ante habuit Parochiam an illam dimiserit. An intelligat professionem fidei, cathechismum, De peccato orig nali. Modus benè moriendi, Visiones, Revelationes, Miracula.

INDEX

INDEX
Primæ Partis hujus Opusculi.

A.

B.

C.

sarii

Irre-

INDEX

INDEX
Secundæ Partis hujus Opuſculi.

A.

Finis

M.

S. Sa-

✤(o)✤